Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Lambert Thomas Schenckel

Gazophylacium Artis Memoriae : In Quo Duobus Libris, Omnia Et Singula Ea Quae ad absolutam huius cognitionem inserviunt, recondita habentur ; I. De admirabili utilitate & stupendis Memoriae artificio adiutae Effectibus ... II. De ipsa Memoriae arte acquirenda ...

Argentorati: Bertramus, 1610

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769155766

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769155766/phys_0001
DFG

31 p
Pr. 378 p Ind.
63 p
1. a. 6.

H. b. 3061 1-3.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn769155766/phys_0002
DFG

Ex donatione Wilhelmiana

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769155766/phys_0003
DFG

Gazophylacium

ARTIS MEMORIÆ,

IN QUO DUOBUS LIBRIS,

OMNIA ET SINGVLA EA QVÆ ad absolutam hujus cognitionem inserviunt, recondita habentur.

I. *De admirabili utilitate & stupendis Memoriæ artificio adjutæ Effectibus, in quibusdam viris præstantiss: ex autoribus fide dignissimis.*

II. *De ipsa Memoriæ arte acquirenda, Fundamentis, Methodo & Praxi ejusdem, ex Philosophorum & Oratorum Principibus & aliis autoribus.*

Compendiosè absolutéq; & collectum & illustratum.

Per

Lambertum Schenckelium Dusilvium.

His accesserunt de eadem ARTE MEMORIÆ adhuc 3. Opuscula: quorum

1. IOANNIS AUSTRIACI,
2. HIERONYMI MARAFIOTI,
3. IOH: SP. HERD.

Omnia lectu & cognitu dignissima.

Cum Cæsareæ Majestatis gratia & Privilegio.

ARGENTORATI,
Excudebat Antonius Bertramus, Academiæ Typographus.
Anno M. DC X.

theodemis A Z

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769155766/phys_0009
DFG

LIBELLUS AD ZOILUM.

PAuca probare, ſpuis, me dicere, Zoile, multa:
Cur? dico formas quæ ratione carent.
Multa notare ſoles, ſed ſcribere, Zoile, pauca:
Cur? ſcribis nugas quæ probitate carent.
Peccat uterq;: erit & plectendus uterq;,
Conterar en digitis, tuq; teráre manu.
Par ratio pœnæ, quamvis diſgreſsio diſpar,
Quod probo rodis, ego quod ſpuis emaculo.

ILLUSTRI ET GENEROSO DOMINO, DOMINO GEORGIO FRIDERICO, Iuniori, Comiti ab Hohenlöe & Dn: in Langenburg/ &c. Domino suo clementissimo, S. D.

IPSA MEMORIA, de Memoria doctorum aliquot virorum memoriæ relicta Præcepta, memoriæ iterũ publicæ traditurum, Illustris ac Generose Domine Comes, Domine clementissime, memorem me moris fecit, vel jam desertam restaurantium, vel jam primùm inducentium coloniam. Hi enim terræ incolendæ, arboris cædendæ, arenæ fodiendæ, calcis coquendæ, domus extruendæ, Iuribus itidem aliis impetratis, ulteriùs sese fidei atque clientelæ superiorum submissè submit-

tere solent; ut ita hi quidem præsidio, clientum tutores, illi contra obsequio, tutorum cultores conspiciantur. Nam cum teste Poëta Juvenali Sat: 15.

Inter finitimos vetus atq; antiqua simultas,
Immortale odiũ & nunquã sanabile vulnus,

necessitas jus illud Patronatus, introduxit, quo contra injuriam & vim majorem, inferiores à superioribus tutarentur. Idem mihi, librorum horum rudera quasi restauranti evenire cum non tam vereor quam videor & fateor, de patrono quoq; mihi eligendo curam cogitationemq; me habere debere, est quod autumo. Præter enim hoc, quod centonem, vix tamen quisquiliis veritatis corrasis, compilari feciſſe à plerisq; videar; non deerunt insuper Momi, instituti hujus & Judicii mei ac præposteri, insimulatores, suorum errorum dissimulatores versutissimi; obtrectantes, quod Phantasmatum aucupio delectari, horumque aucupum & popysmata & sophismata, non

ta, non secus ac vulpes illa crocitatus corvinos, commendare, tenebris caliginem addere, eaque divulgare, non erubescã, quæ plus à frontispicio promittant, quàm habeant in recessu: contra horum vitilitigatorum insultus de patrocinio aliquo, huic opello solicitari, ipsa rei necessitudo postulare visa est; quod cum satis clemens ac tutum in V. G. mihi fore, animadverterim, cogitavi, hosce de Memoria artificiosa libellos summa animi submissione eidem potius nuncupare, insinuare, offerre; quàm aliis minùs in humanioribus literis memoriæ tradendis, versantibus obtrudere. Quemadmodũ enim quævis sicca & gleboſa terra plus imbris inbibit, ac lapidosa arenosáq;: sic quoq; ingenia capacia solertiáq; magis eorũ ducuntur amore, quæ sibi ad illa excolenda inserviunt, præ cæteris rigidis & crassis ejuscemodi spernentibus.

Cum verò V^a. G. summam memoriæ ineſſe facultatem, præclaram ingenii adeſſe dexteritatem, maximam

animi ad virtutes capessendas subesse indolem superfluè perspexerim: eidemque literis immorine dicam immorari allubeat, et avitarum virtutum egregia cohabitent indicia, specimina indies parturientia, pede aliquantulum dubio ad vestræ G. ejusq; clementiæ fores accessum ùt hactenus distuli, sic jam certo contuli. Verùm si hoc chartaceo indice illos intempestivè fortè pulsitem, veniam precor submissè; si apertos & patentes mihi faciam, me simul cum ipso offero humiliter, nullam metuentem foràs expulsionem, sed potiùs sperantem, Illustrem & Generos: Dominum Comitem hosce meos labores typographicos, serena aspecturum fronte, animo accepturum clementi, nec siniſtrè de iis sentientium latratibus aures largiturum. Quod enim certam omnibusque numeris absolutam memorandi quacunq; obvia fiunt discenda, methodum his libellis contineri jactitem, absit longissimè! quia ut in omnibus rebus aliis, ita in hisce etiam imaginariis,

Nihil

Nihil est ex omni parte beatum:
Sed tantùm ad naturales memoriæ scintillulas sufflandas & inflammandas, quò clariore exardescant fervore, & splendescant fulgore, oleum eisdem addi, persuasum omninò habeo Et quidem nemo sanioris judicii negabit, illas imaginum & locorum infixiones magnos post se relinquere Effectus, & crebro usu qui artis Magister est, plurimum adjumenti, arti adferre, cum nullius rei facilius reminiscamur quã visæ, nec promptiùs quid referamus quàm certis locis imaginatum. Quippe expatiabimur pauliſper ad humana hominum commercia, inveniemus in illis opinionis nostræ fulcimina uti veraita firma. Excusoriam namq; medicamentariamvé nunquam ingressi officinam, alterutram posteà prima videntes vice, non mirũ est quin miro & animorũ & oculorũ trahamur libidine, hosq; alacriter & acriter pascamus. Ut enim in illa ipsam præli structurã, hemisphærarũ alutâ subductarũ tin-

ĉturam; columnarum ad chartas impreſſuram; ipſiusq; operis celeritatem aliaq; miſſa faciam: In hac verò nihil de herbarum varietate; nihil de florum amœnitate; nihil de plantarum præſtantia; nihil denique de aromatum fragrantia dicendo deguſtem; quid quæſo in utriſq; locis admirabilius, ipsâ in componendis hîc quidem variis medicamentis & ſpeciebus, illic innumeris typographicis literis, penè inerrabili & inenarrabili memoriâ? Verũ ne facto duorũ ſimul involucro, & animorũ confuſionẽ facere, adeoq; ſensũ abortivũ excludere videamur, paulò exactiùs typothetica intuebimur officia. Hac ſiquidem in Officina, exercitatus quis Compoſitor, receptaculo accumbẽs, inſpectâ quamprimùm chartâ tenaculo affixâ & viſorio (ut meo more, hoc eſt, Typographicè loquar) incluſa, vocabula oculis arripuit, eo ipſo momento, domicilia literarum variè dislocata animo tenet, &

ſumma

summa celeritate cellulas componendo evacuat, modò minutulos modò majusculos depromens typulos, hîc distinctionum, illic interrogationis, alibi emphaseos excipiens signa. Et quàm artificiosè hæc omnia ab eo operantur, dum in regulã suam æneã ferreámve sigillatim characteres colligit; collectos lineatim coarctat; coarctatos in columnas distribuit; distributos Impressoris offert manibus! At quæ causa est hujus artificiosæ celeritatis & celeris artificii? Memoria. Quid stantibus ordine retrogrado literis dissociationem earum, sedibúsque suis restituendi certitudinem adjuvat? Memoria. Quid insuper una alteráve forma excusa, mendisque à diligente animadversore in chartis liturâ castigatis, emendatorem & illum in tetragonali ferreóque columnarum reddit claustro? Memoria. Memoria inquam artificio adjuta, studio exculta, exercitio confirmata. Nec est quod quis

in altera Medicinali taberna, tabernacula opinionis suæ circa memoriam collocet humiliora, cum & hujus loci periti operarii, vix inspecto Medici præscripto, memoriter locos, in illis thecas, in his species habeant notissimas: hac parte simplicia, illâ composita; hîc liquida, illic sicca invenire certò calleant. Ecquis igitur hominum hanc subitaneam & literas componendi, & medicamina præparandi notitiã, memoriæ acceptam ferendam esse negabit, cum nihil non illius officio respondeat. Si enim meditatorum, visorum, auditorum, & facilis apprehensio, & firma retentio, & promta relatio, soli memoriæ attribuenda: si quoque Reminiscentiæ vis, in semel oblivioni traditis & quasi mortuis speciebus resuscitandis, eidem non deneganda (Pendet enim in his, tanquã in cardine tota Memoriæ virtus, omnis energia, unicum officium) evidenter sanè apparet, exercitia prædictarum officinarum

ficinarum his nostris Præceptis correspondere.

At dixerit quis, cui facultates hæ asscribendæ, Naturæ an Arti? Et quidem cum Cicerone Memoriæ illo miraculo, Naturam matrem rerum fœcundissimam, ducem optimam, conservatricemque sui appellare, minimè erubescimus, sed potiùs eidem benè sentienti assentimur: interim tamen cum eodem haud sufficientem fatemur, cum parvos tantùm igniculos & reliquias habeamus, quibus si doctrina & ars accesserit, indies luculentius naturæ accedat incrementum. Res enim sub aperto est & exemplis obvia: Intueatur quis seduli in hortulo hortulani, surculos flosculorum. v. g. caryophillorum, naturæ vi primùm ex semine ortorum, secunda jam implantantis vice artificium, nonne ulteriùs in foliculis duplicantur, triplicantur, multiplicantur? nunquid aliorum fructuum & plantarum ex artificiosa insitione

insitione major magnitudo deprehenditur. Et non solius naturæ vis sed etiam artificium hîc aliquid importat. Hinc idem illè Cicero lib. 2. de Orat: ait: Memoria non solùm à natura proficiscitur, sed etiam plurimum habet artis & industriæ. Ars itaque dux certior quã natura videtur, quæ bona sunt fieri meliora, & quæ non optima aliquo modo acui & corrigi possunt. Ut ut tamen ars in memoria adjuvanda magni sit momenti, multùm tamen Ingenii bonitas, multùm Exercitatio conducit. Homo enim igniarium: silex, Natura: Ars, chalybs: scintilla, Memoria: Ingenium, fomes: Sulphurata, Exercitatio: Candela, Eruditio. Quid ni ergò ex natura arte coadjuvante, memoriæ scintillæ luculentiores elicerentur, quas ingenium ut fomes quis excipiens, exercitatione producat in eruditionis facem! Hac defensioni horum libellorum dicta inserviant.

Restat

Reſtat Illuſtris & Generoſe Domine Comes, Domine Clementiſſ: eâ quæ par eſt animi devotione denuò V. G. obteſtari, ejusq; patrocinium implorare illuſtre, ut pro ſingulari innataq; ſua clementia, hoſce Libellos de Memoria benignè clementerq; accipiat, quò benigniores enim fuerint accepti, eò minores aut nullas experientur malevolorum calumnias, cum multum ſplendoris & autoritatis, arti Memoriæ hinc acceſſurum confido: ego contra pro virili operas venerationis tanquam à clientepatrono debitas præſtare enitar & innitar. Valeat tandem V. G. cum tota Illuſtri Generoſorum Comitum ab Hohenloë, &c. familia: valeat cum Illuſtribus & Generoſis Dominis Parentibus, fratribus, conſanguineis, Dominis meis clementiſſ: valeat cum Nobilibus, virtute doctrinaq; clariſſ: Dominis Præfectis à Studiis, Mecœnatibus meis honorandis, benè, exoptatè, feliciter: hacq; in Argentinenſi Academia, Virtutum heroicarum incremento, artium

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769155766/phys_0021
DFG

to, artium honestarum progressu, & felicitatis successu ita vigeat floreatq;, ut quæ hac in ætate fideliter animo impresserit, patria planè virtute, pietate, prudentia, justitia ac integritate, erga Deum & homines aliquando præclarè exprimat, nec non suis summo emolumento honori atq; ornamento esse possit. PP. Argentorati 6. Septembris Anno ab Incorporato DEI Verbo M. DC. X.

V. Generos:

subjectiss:

Antonius Bertramus
Typographus.

EPIGRAMMA IN ENCOmium artis Memoriæ.

FOrma dat esse rei: formatæ formiter omnis
Materiæ visum massa subinde ferit.
Corporeis oculis hæc lapsa subintrat ocellos
Mentis, & efficiè se locat ante pedes.
Conceptis sic mente notis & imagine, plasten
Auguro cuncta poli resq; creasse soli.
Nam quocunq; loco mentem vultumq; reflexit,
Quod voluit potuit, dicere, ferre, dare.
Mille feras, pisces, volucres, animalia; mille
Sidera: mille & aquas, culmina, saxa dedit,
Mille genus frugum, quin rerum millia mille,
Ac unum formâ quodq; vigente sua.
Formarum tandem quoq; formosissima forma
Formata est ab eo, dux rationis homo.
Huic dedit ipse Deus fata noscere quæq; figuris
Congenitis aciem, sed malè lapsus erat.
Heu malè lapsus erat, memor & sua lapsa facul-
Naturæ, & sibi vix umbra prioris adest. (tas,
Munus naturæ vix est scintillula quædam,
Quam fovet ars, durus prorogat atq; labor.
Debilis omnis homo memori virtute, vigore
Iudicii, vitâ, sensibus, ingenio.
Naturâ & quamvis puer exprimat ore loquelas,
Arte docente magis quam benè verba refert.

Naturâ

Naturâ numerant homines, scribuntq́, canuntq́,
Arte magis certè, pulchriter, harmonicè.
Naturâ memor est ejus quod mens notat ipsa,
Arte figurandi plus meminisse valet.
Artibus ingenuis augetur gloria mundi,
Arte paratur honos, arte paratur amor.
Arte viget quævis præclara scientia semper,
Arte labor quivis sic simul artificis.
Arte poli stellæ, terræ metantur & orbeis
Arte figurantur plasmata pulcra notis.
Arte velox currus, & naves arte reguntur,
Arte leo præstans, arte domatur equus.
Arte feræ in sylvis, & aves in saltibus arte,
Arte in aquis pisces illaqueantur item.
Certior ars dux est Naturâ, ut quæ bona profert,
Quæ Natura citò debilis ipsa nequit.
Ergo figurandi quisquis legit hosce libellos,
Arte memor fiet, discet ab arte loqui.
Nil juvat innumeros sedenim pervolvere libros,
Et lectæ quàm mox immemor esse rei.
Arte figurandi quidquid mens inbibit, illud
Hæret, & infixum non nisi morte perit.

Isaac Bruschius Egranus.

DE ME.

DE MEMORIA LIBRI DUO:

IN QUORUM PRIMO, ex auctoribus fide dignis, tractatur, quàm illa in quibusdam fuerit admirabilis, quas utilitates, & quàm penè incredibiles artificio adjuta producat effectus.

CAPVT I.

Quid memoria? Memoria est animæ potentia qua cognita reminiscimur.

MEMORIA est firma rerum verborumq́;, & ordinis perceptio: atque fida custodia: sive, memoria rerum perceptarũ fida custos est: vel memoria est thesaurus specierum ab anima perceptarum & retinaculũ. Hanc *Quintilianus* sapientiæ eloquentiæq́ue thesaurum, naturæ munus, spiritum, manum mediam, divinitatem appellat: *Cicero* argumentum immortalitatis animæ. *Plutarchus* antistrophen divinitatis, hoc est, ipsi divinitati altera quasi ex parte respondentem; cum ex præterito faciat præsens: *Plinius* extremè ait vitæ humanæ

Elogia memoriæ.

manæ necessariam; alii promtuarium, ærarium, & gazophylacium vocant scientiarum, omniumq; quæ vel ipsi nobiscum meditamur, legimus, apprehendimus, videmus & intelligimus. inter sensus interiores maximè excellit, & est aliorum custos: Græci deam, Poëtæ sapientiam, usus & memoriæ filiam finxerunt. sine hac enim quidquid in artibus est, quidquid in republica, quidquid in tota hominis vita, frustra omninò perciperetur. ex quibus patet in summo apud omnes semper precio fuisse. Præclara illa animi vis, paucis bestiis nobiscum communis, citra controversiam â Deo in vertice, velut arce, cõstituta est, ut sensibus finitima, æthereo cœlo propinquior, & sibi immortali Deo vicinior, cœlestia liberiûs spectaret: maria, terras, & intra se positas urbes, ut imperiosa & severa moderatrix, despiceret.

Deus memoriæ, ut omnium bonorum dator.

Sedes.

Sedem verò eius in occipitio collocatam, in posteriori videlicet cerebri ventriculo, communis est Philosophorum, & Medicorum, ex conjectura nõ levi, sententia. obliti enim alicujus scalpimus caput, qua parte sunt nervi â cella memoriæ protensi; unde refricatur vis memorativa. alii toti cerebro permistam asseverant: de quo non magnoperè nobis est laborandum. qui volet, latiûs tractantes hanc quæstionem, Medicos consulat.

Officum

Officium duplex; facilè apprehendere, & firmiter retinere. Quibus est calida & moderata cerebri temperatio, facilè percipiunt, ac fideliter retinent; quibus frigida, perparum capere possunt; quibus verò humida, facilè comprehendunt, sed non diu retinent; contra ægrè percipiunt, sed benè conservant, quibus sicca est temperatio. oblivioſi sunt senes, timidi, ebrii, ægroti, &c. Plurimùm abstinentia moderata prodest, & victus ratio, & remissio quædam studiorum; ne sit continuus labor, ne sint intempestiva studia, ne animus sit occupatus curis, solicitudine, mœrore, timore, irâ, & cæteris animi perturbationibus. utilis ante prandium & cœnam, moderata corporis exercitatio. juvatur etiam gubernatione valetudinis, quieto somno, exercitatione moderata & ordine. nihil æquè prodest, ac usus & diligentia legendi, cogitandi, & sæpè repetendi; cogitata, lecta, audita, alióve modo percepta; in qua exercitatione. *Fabius* omne memoriæ artificium ponit. *Cicero* eam exerceri vult ediscendis ad verbum quàm pluribus & nostris scriptis & alienis.

Officium.

Qui benè percipiant ac retineant qui secus.

Quæ juvent memoriam.

Graviter autem lædunt morbi quidam cerebrum invadentes præterea frigus & humor, crapula, immoderatus potus atq; pastus, nimius somnus, cibus ad concoquen-

Quæ lædant.

dum difficilis, & liquidior, & jurulentus, pinguis, crudus; cæpe, raphanus, sinapi, caseus, nuces, &c. violenta vina, inflatio, gravis ira, mœror, timor atq; aliæ perturbationes. de quibus plura Medici, & optimè L. Vives. cumque hæc de memoria, etiam bestiis quibusdam nobiscum communi, rectè dicantur; quantò potiùs eadem quadrant in memoriam homini propriam? intellectualem dico, sive rationalem.

Divisio memoriæ.

Ea vero duplex est, naturalis, & artificiosa; quæ ita sunt conjunctæ, ut naturalis artem conservatricem requirat, & artificiosa naturæ poscat opem: sic tamen, ut multò plus sit præsidii in arte atq; doctrina, nam naturalis nos sæpè aliquâ occasione destituit, artificialis aberrare non sinit cum res objectas quasi videamus, sicuti literas oculis corporeis intuemur.

Naturalis quid? D. Damascenus Memoria est phantasia derelicta ab aliquo, & conservatio sensus et intelligentiæ. Quotuplex, quid qua-

Naturalis est ea, quæ animis nostris insita est, & simul cum cogitatione nata: vel, est vis animis insita, quæ & facilè res percipiat, & fideliter contineat.

Hujus causæ duæ sunt, natura, quæ aliis stupendam, aliis mediocrem, aliis ferè nullam dedit; & ars aliena, ut Dialecticorũ, quorum præcepta plurimùm juvare solent, propter ordinem: cuius Dialectica mater est, qui enim ordinem novit, hoc est qui scit rectè

rectè definire, dividere, & argumentari, is facilè apprehendit res, & continet: quoniã novit antecedentia, consequentia, & media. Ordo itaque inprimis memoriam adjuvat, post rationem victus; in quo sobrietas maximè consideranda est; quoniam ebrietas, & crapula, non modò memoriam, sed etiam ingenium omne obruunt. Artificiosa, quam confirmat inductio quædam, & ratio præceptionis: vel, est eadem ipsa naturalis, inductione quadam, & firmata & amplificata: hæc naturalem vehementer juvat. Quemadmodum enim cæteris in rebus, nisi naturam arte confirmaverimus, egregium quid conficere non possumus: sic naturalis memoria, nisi artificio nitatur, egregia esse non poterit. Quare confiteor equidem hujus boni naturam esse principem, sicuti earum rerum, de quibus locutus sum, omnium; sed hæc ars tota dicendi sive artis imago quædam est & similitudo, habet hanc vim, non ut totum aliquid cujus in ingeniis pars nulla sit, pariat ac procreet: verùm ut ea, quæ sunt orta jam in nobis, & procreata, educet atque confirmet. Veruntamen neque tam acri memoriâ ferè quisquam est, ut non dispositis notatisq; rebus ordinem verborum & sententiarum complectatur, neque verò tam hebeti, ut nihil hac consuetudine & ex-

Sive potentia animæ? D. Thomas in 1. Summæ theol. q. 77. art. 8. ad 4. et q. 79. art. 7. & q. 78. art. 4. & in aliis locis.

Quid artificiosa? Quæ præceptis cõfirmatur, constatq; locis et imaginibus tanquam chartis & literis.

à naturâ procreata, ars confirmat.

ercitatione adjuvetur. Vidit enim hoc prudenter sive Simonides, sive alius quis invenit, ea maximè animis effingi nostris, quæ essent â sensu tradita atque impressa: acerrimum autem ex omnibus nostris sensibus esse sensum videndi (*iuxta illud Aristotelis: nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu*) quare facilimè animo teneri posse ea, quæ perciperentur auribus, aut cogitatione, si etiam oculorum commendatione animis traderentur: ut res cæcas, & ab aspectus judicio remotas, conformatio quædam, & imago, & figura ita notaret, ut ea quæ cogitando vix complecti possemus, intuendo quasi teneremus. Sed quia in cæteris rebus ingenii bonitas imitatur sæpè doctrinam, ars porrò naturæ commoda confirmat & auget; ita fit in hac re, ut nonnunquam naturalis memoria, si cui data est egregia, similis sit huic artificiosæ; porrò hæc artificiosa naturæ commoda retinet, & amplificat ratione doctrinæ. Quapropter & naturalis memoria præceptione confirmanda est, ut sit egregia; & hæc, quæ doctrinâ datur, indiget ingenii. nam utraque alterâ separatâ, minus erit firma: ita tamen, ut multò plus in doctrina atque arte præsidii sit. nec hoc magis aut minus in hac re quàm in cæteris artibus fit, ut ingenio, doctrinâ, præceptione, natura

Acerrimus sensus videndi.

Ingenii bonitas imitatur doctrinam.

Natura similis artificiosæ.

Ars dux certior quam natura.

ne, naturâ niteſcat. quare & illis qui naturâ memores ſunt, utilis hæc erit inſtitutio. quod ſi illi freti ingenio, noſtrâ præceptione non indigerent, tamen juſta cauſa daretur. quare iis, qui minus ingenii habent, adjumento velimus eſſe. Nihil eſt enim quod natura extremum invenerit, aut doctrina primum; ſed rerum principia, ab ingenio profecta ſunt, & exitus diſciplinâ comparantur.

Ciceronis occupatio & ejuſdem Solutio.

Neque verum eſt, quod ab inertibus dicitur, opprimi memoriam imaginum pondere, & obſcurari etiam id, quod per ſe tenere natura potuiſſet. quare hac exercitatione non eruenda memoria eſt, ſi eſt ulla naturalis, ſed certè ſi latet, evocanda eſt.

Objectum memoriæ artificioſæ.

Objectum ejus ſunt regulæ quædam, ſive id quodcunque dirigit memoriam in recordando: in quarum explicatione hæc tota cognitio verſatur.

Finis.

In hunc verò finem ab hominibus ſapientibus inventa eſt, ut defectibus memoriæ naturalis ſubveniret. quemadmodum enim Medicina ad morbos humani corporis curandos, Logica erroribus captioſiſq; argumentis diſſolvendis ac tollendis, Ethica pravis animi affectibus medendis, à Deo hominibus inditæ ſunt: ſic ars memoriæ defectibus in memorando contingentibus, ju-

I R. Caduca innascitur memoria.

vandis tollendisq; traditur. Caduca enim multisque passionibus subjecta & defectionibus, innascitur memoria, quæ nisi arte fuerit adjuta, mox in pauculis defatiscit. Si

Fr. Petr: quo modo labescentiæ occurrendum.

itaque memoria labascit, succurrendum ne corruat; & labens jugi meditatione sustentanda. Faciendum quod in muro ruinam minante fieri solet, adhibenda repagula oportunis locis, & fragilis crebris ac validis adminiculis circumvallanda. Si ergo alicui memoria fluxa fuerit, diligentia & artificio erit stringenda: cunctis memoriæ ingeniisq; defectibus occurrit industria: nihil patitur perire, nihil minui, hæc est, quæ Philosophos & Poëtas senes, virentissimo ingenio ac stylo; hæc est quæ decrepitos Oratores, voce solidâ, validisque lateribus ac tenaci memoriâ servare potest.

Simonides inventor artis memoriæ verba Cic. 2. de Orat.

Hujus primus inventor fuisse Simonides Chius Medi. & Poëta Græcus fertur. Dicunt enim, cum cœnaret Cratone in Thessalia, apud Scopam fortunatum hominem ac nobilem, cecinisseteque id carmen, quod in eum scripsisset, in quo multa ornandi causâ, Poëtarum more in Castorem scripta & Pollucem fuissent; nimis illum sordidè Simonidi dixisse: se dimidium ejus ei, quod pactus esset pro eo carmine, daturum; reliquum à suis Tyndaridis, quos æquè laudasset, peteret,

ret, si videretur. Paulò post, esse ferunt nunciatum Simonidi, ut prodiret, juvenes stare ad januam duos quosdam, qui eum magnoperè evocarent. quorum tandem evocatione defatigatum, surrexisse illum ipsum, prodiisse, vidisse neminem. dum ad fores genialis domus, uti ratus erat, non inveniset; eosque omni urbe vagos quæreret, hoc interim spacio conclave illud, ubi epularetur Scopas, cecidisse: eaque ruinâ ipsum oppressum, cum suis interiisse, quos cum humare vellent sui, neque possent obtritos internoscere ullo modo, Simonides dicitur ex eo, quod meminisset, quo eorum quisq; ordine cubuisset, demonstrator uniuscujusque sepeliendi fuisse. Hac re tum admonitus, inveniisse fertur, ordinem esse maximè, qui memoriæ lumen adferret.

Ordo memoriæ lumen adfert.

DE ADMIRABILI QVORVNDAM MEMORIA.

CAPVT II.

ATque hoc quidem hujus artis (quæ nata ut in plærisque ab experientia) fuit initiũ; quod exercitatione sic auxit, ut jam octogenarius gloriaretur hoc distícho: ne-

Simonides quanta memoria.

minem sibi memoriâ parem.

Μνήμην δ' ἑπνά φημι Σιμωνίδη ἰσοφαείζειν
Ὀγδοήκοντα ἔτεϊ παιδὶ λεωπεπέϊ.

Metrodorus Sceptius.

Metrodorus Sceptius Philosophus (qui temporibus Diogenis Cynici fuit) deinde perfeciſſe dicitur: artificioſaque memoriâ tantùm valuiſſe, ut à multis ſimul dicta, non modò ſenſuum, ſed etiam verborum ordinibus, retineret; omniaq; audita iiſdem rederet verbis: & in duodecim ſignis, per quæ ſol meat, tricenos & ſexagenos invenerit locos. *Plin. lib. 7. cap. 34. Solinus; Cic. lib. 1. Tuſc. quæſt.* Poſtea eâ uſi ſunt plurimi, apud exteros, Græcos, Romanos; & etiam omni tempore, quidã apud Chriſtianos; tantumque profecerunt, ut ad miraculum uſq; memoriâ pollerent: ut ex ſequentibus patebit.

Appollonius Tyaneus.

Appollonius Tyaneus Pythagoricus ille, tantâ memoriâ præditus fuiſſe, à Philoſtrato ſcribitur, ut Simonidem quoq; ſuperaſſe creditus ſit.

Themiſtocles Imperator Atheniensium de quo Cic. 2. de fin. Volat. lib. 20. Anthrop.

Ad Themiſtoclem verò, quidam homo doctus, atque in primis eruditus acceſsiſſe dicitur, eique artem memoriæ, quæ tum primùm proferebatur, pollicitum eſſe ſe traditurum: cum ille quæſiſſet, quidnam illa ars efficere poſſet: dixiſſe illum doctorem: *ut omnia meminiſſet*; & ei Themiſtoclem reſpondiſſe, gratiùs ſibi illum eſſe facturum, ſi ſe obli-

se obliviſci, quæ vellet quàm ſi meminiſſe docuiſſet. ex quo intelligi poteſt, eum ſingulari ac incredibili memoriâ fuiſſe: nihilq; ex illius animo, quod ſemel eſſet infuſum, effluére potuiſſe: cum ei fuerit optabiliùs obliviſci poſſe potiùs, quod meminiſſe nollet, quàm quod ſemel audiſſet, vidiſsétve, meminiſſe. credo (*inquit Cicero de eo in Acad. Quæſt.*) quod hærebant in memoria, quæcunque audierat aut viderat. Is quoque (*eodem Cicerone teſte, in dialogo de Senectute; & Plutar. in vita eius*) inter graviſsimas occupationes publicas & privatas; cunctorum civium ſuorum (& erat Athenis natus) nomina tenebat; ſtupendum negotium. Idem brevi temporis ſpacio, Perſicum primus idioma perdidicit: ne quid in primo colloquio peregrinum, Regis aures offenderet. *Fr. Petr.*

Cyrus Rex.

Cyrus Perſarum Rex tanto memoriæ bono claruit, ut in exercitu, cui numeroſiſſimo præfuit, (triginta videlicet millium hominum) nominatim ſingulos alloqueretur. *Val. Max. lib. 8. cap. 7. Plin. lib. 7. cap. 24. Fab. lib. 1. cap. 2. Solin. cap. 7. Sabel: lib. 10. cap. 7.*

Mithridates Rex.

Mithridates Rex Ponticus & Bithyniæ, duabus & viginti gentibus quibus imperitabat, ſine interprete jura dixit; eorumque linguas percalluit: A. Gellius, quinque & viginti. Plinius quadraginta gentium linguas,

guas, quæ sub imperio ejus erant, diversas ita noviſſe ſcribit, ut cuilibet, patrio ſermone, jura redderet: & in concionibus ſingularum nationum, interpretem non requireret. *Fr. Petr. Plin. lib. 2. cap. 25. Sol. cap. 7. Plut. in Luculo. Val Max. lib. 8. cap. 7. A. Gell. lib. 17. cap. 17. Sabel. lib. 10. cap. 9.*

Fab. lib. 11. cap. 2. Seu Carmides. Carmidas quæ quis exegiſſet volumina in bibliothecis, legentis more repræſentabat; & quoſcunq; libros in bibliotheca aliqua legiſſet, eos confeſtim memoriter recitare poterat. *Plinius lib. 7. cap. 14. Sabel. lib. 10. cap. 9.*

Carneades. Carneades Cyrenæus, philoſophus inſignis, Athenis (ut etiam Metrod. Sceptius in Aſia de quo ſuprà) divinâ propè memoriâ fuit, quorum uteréque tanquam literis in cæra, ſic ſe ajebat in animo perſcribere, quæ meminiſſe vellet: ac quævis ſibi oblata volumina, in morem legentis memoriter quoque recitavit. *de quo Fran. Petrarcha ita inquit:* Extremum mihi nunc, ſed nullo præcedentium inferius, memoriæ monſtrum diſſerendum eſt, Carneades quidem (ut ajunt) in Græcia, quæ quis è bibliothecis volumina educeret, in morem legentis, memoriter reddebat: huic, verò dici poteſt, ſuperva. cuos codices fuiſſe. hic profectò non ſcribebat in animo tantùm, ſed ſculpebat, *de hoc Cic. de Orat. Volat. lib. 17. Anthrop.*

Theodectes Aristotelis discipulus, semel auditos quamlibet multos versus, protinus dicitur reddidisse. *Fab. lib. 11. cap. 2. & Seneca in prol. decla.* de aliquo, qui idem fecisset, scribunt: an de uno eodemque Theodecte, an singuli de diversis loquantur, aliis examinandum judicandumq; relinquo. *Theodectes.*

Archippus & Lysiades seu Lysander, Pythagoræ auditores, qui in Græcia Thebis, scholas habuêre; ingenio pro literis utebantur: & memoriter artis præcepta tenebant. *Volat. lib. 16. Anthrop. ex D. Hieronymo.* *Archippus. Lysiades seu Lysander.*

Antigonus apud legatos effecit, ut præstantissimâ memoriâ præditus videretur. *Polie. lib. 4.* *Antigonus.*

Platonem quoque & Aristotelem (ut per hos Philosophorum principes finem Græcorum exemplis faciam) hoc memoriæ artificio non caruisse, satis ex ipsorum scriptis convincitur, & quasi ad oculum demonstrari potest: cum ille nomine Hippiæ, ut hîc statim subjungitur, specimen artis & effectum aliquem ostenderit; hic verò omnes hujusce artis partes, expresse attigerit: ut videlicet uno aut altero verbo, quod sapienti satest, indicarent; artis memoriæ se non fuisse expertes: licet eam tanquam acromaticam putaverint secretò, ut alia multa, sibi servandam, ut taceam, in dubium vocari posse, *Plato divinus dictus. Aristoteles Philosophorũ princeps.*

posse, an Theodectes eam ab Aristotele magistro acceperit, vel aliquod fundamentum saltē, quod ille sic postea excoluerit; an verò, si aliunde sibi communicatam habuerit, adeò in præceptorem fuerit ingratus, ut tantum bonum illum celaverit? quod non est verisimile.

Julius Cæsar.

Iulius Cæsar tam tenaci viguit memoriâ, ut nihil teste Cicerone, præter injurias oblivisceretur: idemq; legere, dictare & audire; legere simul & scribere, audire & dictare solitus traditur, epistolas de rebus maximis, quaternas pariter dictabat aliis, ipse manu suâ quintam scribens; ac si calamum eximeres, septenas pariter dictabat. magna res in primis, & mirifica, tam facilè singulis adesse, tam fideliter omnium meminisse. *Sabel. lib. 19. cap. 9. Fr. Petr.*

Quidam fide dignus auctor scribit (I. B. à Porta) fuisse quosdam, qui decem scribentibus, diversi argumenti, diversisq; linguis, res serias tanta celeritate dictaverint, ut asse, qui non potuerint; omissis interdum periodis, verbisque imperfectis relictis,

Fab. Max.

Fab. Max. quoque ingenti quadam notitiâ fuit, atq; memoriâ vetustatis; omniaq; non solum domestica sed etiam externa bella memoriâ tenebat. *Cic. Fr. Petr.*

L. Lucullus Imp.

L. Lucullum Imperatorem & Philoso-

phum

phum ſummum, divinam quandam rerum memoriam habuiſſe, *in Acad. Quæſt. idem teſtatur Cicero*, (res enim domi foriſque geſtas, ex admirabili memoriæ theſauro, tanquam ſemper ſpectaret, expeditè referre poterat) verborum majorem Hortenſium, de quo latiùs infra: ſed quod plus in negotiis res, quàm verba proſunt, hoc fuiſſe memoriam illam præſtantiorem: quàm fuiſſe in Themiſtocle (quem facilè Græciæ principem ponimus) ſingularem ferunt.

Æl. Hadrianus imp.

In Æl. Hadriano Imperatore, tanta etiam fuit memoriæ felicitas, ut locos, negotia, milites quoque abſentes, nominibus recenſeret: idemque, teſte Spartiano, librum ſemel lectum, abſque errore unius verbi, recitavit. *Io. Raviſ.*

L. Scipio Aſiaticus.

L. Scipio Aſiaticus, P. Scipionis majoris frater, hoc idem fecit in exercitu, cui præfectus fuit maximo, quod de Cyro traditur, ut nominatim ſingulis loqueretur; præterea univerſi populi Romani nomina tenebat. cui (*dicit Fran. Petr.*) ex omnibus gentibus ac ſeculis, nullum â ſe præferri: ac rem incredibilem; niſi eam multi, inter quos Plin. ſecundus, ſuo teſtimonio confirmaſſent. *Plin. de viris illuſt. Solinus cap. 7.*

Ap. Claudius.

Ap. Claudium admirabili quoq; memoriâ fuiſſe, ſatis conſtat:

Claudius

Claudius Cæsar. Claudius verò Cæsar, ille qui Caligulæ in Imperio succesſit, vir Latinis Græcisque literis valdè eruditus, totum Homerum memoriter tenuit ex cujus poëmate, verſus quàm plurimos, in uſu rerum ſæpiſsimè recitare ſolebat. *Volat. lib. 23. Anthrop.*

M.T.Cicero. M. T. Ciceronem Latinæ linguæ, communi omnium ſuffragio, facilè parentem; ac Oratorum principem, hujus artis beneficio, non ſolùm in orationibus, coram Senatu aut populo habendis omnibusque cauſis defendendis, plurimùm adjutum, verùm etiam tam eximium ac ſingularem evaſiſſe, ut æquales facilè ſuperarit: ſibi antecellentes, anteverterit; omnesque longo poſt ſe intervallo reliquerit: & quod ad id excellentiæ culmen, ſine artificioſa memoria, nunquam perveniſſet; clarius eſt, quam ut probatione ulla indigeat & ſatis ſuperque illius ipſius *teſtimonio* convincitur.

Cornificius. Cornificium quoque, aliosq; multos, diligenter in hac ſe exercuiſſe, & plurimùm commoditatis, utilitatisq; percepiſſe, æquè atq; de Cicerone, evidens eſt. *T. vel C. lib. 3. R. ad H.*

Hippias apud Platonem. 50. nom. ſemel tantum audita recitare poterat. Hippias autem apud Platonem, tanquam de magno quodam, ac præſtanti bono gloriatur; poſſe ſe quinquaginta nomina ſemel tantum audita, recitare: at hoc nihil eſt, præ

ut quæ

ut quæ de se Seneca scribit; cujus hæc sunt ex prologo declamationum: Sed cum multa jam mihi, ex me desideranda senectus fecerit, oculorum aciem retuderit, aurium sensum hebetaverit, nervorum firmitatem fatigaverit, inter ea quæ retuli, memoria est; res ex omnibus partibus animi, maximè delicata & fragilis; in quam primum senectus incurrit: hanc aliquando in me floruisse, ut non tantùm ad usum sufficeret, sed in miraculum usque procederet, non nego. Nam duo millia nominũ quo ordine erant dicta, referebam; & ab iis, qui ad audiendum nostrum præceptorem convenerant, singulos versus, à singulis datos, cum plures quam ducenti efficerentur, ab ultimo incipiens, ad primum recitabam: nec ad complectenda tantùm quæ vellem, velox erat mihi memoria: sed etiam ad continenda, quæ acceperat. *& paucis interiectis, de Portio Latrone*: Memoria & natura quidem felix, sed plurimùm adjuta arte. Nunquam ille quæ dicturus erat, ediscendi causâ relegabat; edidicerat illa cum scripserat: cum id in illo magis mirabile videri posset, quod nec lentè, nec anxiè, sed eodem penè quo dicebat, impetu scribebat. illi quidem, qui sua scripta torquent, qui de singulis verbis

Seneca 200 nominum semel audita referebat. Et plures quam 200. versus ab ultimo ad primum.

Portius Latro. de eodẽ præter Senecã Fr. Petr. et Volat. lib. 16. Anthr.

in consilium veniunt, necesse est, quæ toties animo admoverint novissimè affigant, & paucis rursum interpositis. In illo, non tantùm naturalis memoriæ felicitas erat, sed ars, summa; & ad comprehendenda ea quæ tenere debeat, & ad custodienda: adeò ut omnes suas declamationes, quascunque dixerat, teneret: jam itaque supervacuos sibi fecerat codices, ajebat se scribere in animo cogitata: dicebat ita, ut in nullo unquam verbo, eum memoria deceperit, Historiarum omnium summa notitia, jubebat aliquem nominari ducem, & statim ejus acta cursu reddebat: adeo quæcunque in ejus animum semel descenderant, in promptu erant.

Nota. Cyneas Legatus Pyrrhi.

Video vos juvenes mei, plus justo, ad hanc ejus vocem obstupescere; alia vos in illo mirari volo, hoc quod tantùm vobis mirum videtur, non operosa tradi potest arte. Intra exiguum pauciſsimorũ dierum tempus, poterit quilibet facere id, quod Cyneas fecit, Thessalus ille Philosophus, qui missus Legatus à Pyrrho ad Romanos, postero die, novus homo, & Senatum, & omnem urbanam circumfusam Senatui plebem, nominibus persalutavit. (*Plutarchus in Pyrrho. Solin. cap. 7. Cicero lib. 1. Tuscul. Quæst. Sabel lib. 10.*

cap.

cap. 9. Fulg. lib. 8. cap. 7. præter Senecam.) Aut quod fecit ille, qui recitatum à Poëta carmen novum, suum esse dixit; & protinus recitavit: cum ille hoc cujus carmen esset, facere nõ posset. Aut quod fecit Hortensius, qui à Sisenna provocatus, in auctione persedit diem totum, & omnes res, & pretia, & emptores, ordine recensuit; argentariis recognoscentibus: ita ut in nullo falleretur. *Alius artis memoriæ insignis.*

Hactenus Seneca. Fab. lib. 11. cap. 2. Hortensius ille, in foro Romano causarum Rex, ob eloquentiam, dictus est; *de quo sic Cicero in Bruto*: primum in eo memoria tanta quantam in viro me agnovisse arbitror: ut quæ secum commentatus esset, ea scripto verbis iisdem recitaret, quibus cogitasset. *Hortensius causarum rex ob eloquentiam dictus.*

Verum enimverò ne ethnicorum tantùm auctoritate, & testimonio freti fuisse videamur: omissis etiam iis, qui in sacris literis insigni memoria celebres fuerunt, Adamo, primo omnium parente, qui cunctis rebus à Deo creatis nomina à se impo sita, memoriâ tenuit, & singulas creaturas, earumq; proprietatem, ac naturam cognovit; & Esdra sacerdote, quem *Eusebius* tradit in Chronicis, omnes Moysis libros memoriter recitasse; quos Chaldæorum reges *Adamus primus homo.*

Esdras Euseb. lib. Temp.

exusserant, ita ne amplius exstarent: & ex ejus recitatione transscriptos, hunc usum, qui postea habitus est, præbuisse: majus quid humanâ memoriâ in illo fuit, & divini numinis ductu, non tam prophetia futurorum quam præteritorum ἀνάμνησις. *Ful. lib. 8. cap. 7.* idem universas Hebræorum doctrinas habuit in memoria. *Ioan. Rav. Tex.* Nonnullos ergo qui sequentibus seculis, & patrum nostrorum ætate, ac nostrâ, clari extitere, proferamus.

recordatio se reminiscentia.

D. Hier. Doct. Ecclesiæ.

D. Hieronymus Stridonensis, unus ex quatuor præcipuis Ecclesiæ doctoribus, eâ fuit memoriâ, ut Latinorum, Græcorum, Hebraicorũ, Chaldæorum, Persarum, Medorum, & penè nationum omnium, linguas ac literas calluerit. *S. Aug: & Guido Birur.*

Simplicius amicus B. Augustini.

Divus quoq; Augustinus de anima & eius Orig. ad Vincen: Victorem lib. 4. cap. 7. tom. 7. insigne etiam refert exemplum, his verbis: Amicus quidam meus, jam inde ab adolescentia, Simplicius nomine, homo excellentis mirabilisque memoriæ, cum interrogatus esset à nobis, quos versus Virgilius, in omnibus libris supra ultimos dixerit; continuò, celeriter, memoriterque respondit; quæsivimus etiam superiores ut diceret, dixit: & credidimus eum posse retrorsum recitare

citare Virgilium. de quocunque loco voluimus, petivimus ut faceret, fecit: Prosa etiam de quacunq; oratione Ciceronis, quam memoriæ commendaverat, id eum facere voluimus; quantum voluimus, sursum secutus est, cum admiraremur: testatus est Deũ, nesciisse se hoc posse, ante illud experimentum, ita quantũ ad memoriam attinet, tunc se ejus animus didicit; & quandocunq; discere, nisi tentando & experiendo posset? & utiq; antequá tentaret, idem ipse erat; cur se igitur nesciebat? Quod tanti Ecclesiæ Doctoris exemplum, locupletissimo huic arti est testimonio: unumq; sufficerit, ad omnes obtrectatorum cavillationes elevandas; nisi objiceret fortè eorum aliquis, ex subjunctis ibidem verbis posse colligi, non artificiosæ sed naturalis memoriæ auxilio: aut singulari Dei beneficio, id præstitum à Simplicio. Solam naturam in hac re tam stupendi effectus non esse productricem, ratio & experientia satis confirmant; neque ullum crediderim apud aliquem exstare simile exemplum, quo solius naturæ ope tale quid factum, probaretur; sicuti in hoc libello, ex multorum fide dignorum testimonio, apertissimè liquet, similia, & majoris admirationis, à natura arte adjuta, prodiisse. Si divinitus ac miraculosè

Virgilium recitare retrorsum. & quocunq; loco. Idem in prosa facere.

Hact. D. August.

Solam naturam tam stupenda non operari.

culosè id bonum ipsi obtigisset, non est verosimile D. Aug. pro suo in hominem veteri amicitia conjunctissimum affectu, subticiturum fuisse:

Natura & ars conjunctæ mira producunt.

Relinquitur ergò, quod res est, meo quidem judicio, salvo tamen meliori; à natura simul & arte, istud Simplicii specimen, esse profectum. nec huic contradicit quod spectatoribus admirantibus, testatus sit Deum; *nescisse se hoc posse. ante illud experimentum.* nam inde non rectè concluditur, ergò fecit naturali tantùm memoriâ. fit enim sæpè, in omnibus artibus, tam mechanicis, quam liberalibus, si de honore agatur, vel si propositis magnis præmiis, aut liberaliore multo laboris mercede invitemur, ut omnes ingenii corporisque nervos intendentes, multò majora præstemus, artificiosioraque, quam antea unquam; & quàm potuisse, existimaverimus: ideo ut nos ipsi nobis (ut & opera) simus admirationi. Nemo etenim corporis ingeniique vires satis novit, nisi quid possit, periculum fecerit. hinc videmus in omni ferè arte, quosdam præ cæteris longè præstantiores evadere, quia seriò se totos alicui rei applicant.

Præmia exuscitant artem & industriam.

Nemo quid possit satis novit nisi periculum fecerit.

à Simili.

Quemadmodum enim nervi in testudine, aliisque instrumentis Musicis, & arcu

quoq;

quoq; intensi; sonum quidem, & vim edunt mediocrem: si verò paulatim magis magisque à peritis distendantur, multò suaviorem reddunt harmoniam, telaq; majoribus viribus longiùs excutiunt; interdum supra spem artificis: ita etiam fit in hac re, ut in experiendo non solùm aliorum de nobis, sed ipsi quoq; nostram superemus exspectationem: ac tum verè dicimus; nescisse nos hoc potuisse, ante illud experimentum. nec equidem dubitavero, hujus speciminis occasione, & eorum quæ apud *Cic. & Fab.* sunt, ad hanc rem spectantia, D. Aug. de arte, ejusque praxi, latiùs inquisivisse ex Simplicio; eaque avidè percepta, vehementer in tot voluminibus scribendis adjutum fuisse. quod ipsum de D. Hieronymo, aliisque, verisimiliter existimare licet. Idem de memoriæ excellentia fusè *lib. 10. Confes. à cap. 8. ad 26.* ubi quia pluribus agit, quam ut huic libello, inserantur; lectorem ad illum duximus remittendum. S. Antonius Ægyptius, eremita sine ulla scientia literarum, scripturas divinas, & memoriter audiendo tenuit, & cogitando intellexit. *D. Aug. in prol. lib. 1. de doct. Christ.*

D. Aug. lib. 10. Conf. a. cap. 8. ad 26

S. Antonius Aegyptius eremita.

Neopotianus, Heliodori episcopi nepos ex sorore, militiam juvenis exercuit,

Neopotianus.

tandem presbyter monachus esse voluit; hic tantâ fuit memoriâ, ut in disputationibus, & familiaribus colloquiis, si quid in mediũ adductum esset, statim dignosceret; utputa, Tertulliani illud esse, Cypriani istud, hoc Lactantii, &c. Lectione deniq; assiduâ, pectus suum bibliothecam Christi, effecit: teste D. Hieronym. in ejus epitaphio.

S. Antoninus Archiepiscopus Florent.

S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, decimo sexto ætatis anno, immensum decretorum volumen, tot canones complectens, unius præcedentis anni spacio, ita memoriæ impressit: ut quacunque voluminis parte quæsitus, promptè ac memoriter ad omnia, summa felicitate responderet. *Lusur.*

Clemens IV. Pontif.

Clemens VI. ejus nominis summus Pontifex, tam potentis atq; invictæ fuit memoriæ, ut quidquid vel semel legisset, & obliviscì amplius non posset; cujus rei periculum fecit, adhuc privatus Parisiis. orbis universus hoc illi tribuit. *Fr. Petr.* Ferunt eam memoriæ felicitatem, ex vulnere in capite, illi obtigisse: quod paradoxon prorsus est, sed verisimilius videtur, quod ex vulnere memoriam læsam sentiens (& de arte, qua naturalis memoriæ defectibus succurritur, vel aliorum auctorum scriptis, edoctus) ad

ipsam

ipsam confugerit: quæsito aliquo ejus benè perito; qui in Italia, Romæ præsertim, nunquam defuerunt; quâ tantum profecerit, ut multò magis, quàm ante læsionem, postea in illo memoria viguerit: causam rei ignorantes, vulneri in capite accepto, adscripsere: quam verè, illi viderint: Medicorum sanè judicio communi omnium, tale beneficium ex tali causa, naturaliter non proficiscitur; quin potius contrarium.

Ottho Romanorum Imperator (imitatus Cyrum Persarum regem, Æl. Hadrianum Imperat. & L. Scipionem Asiaticum) quemvis militum in agmine, in stationibus, in itinere, nomine compellabat suo; ex quo tantam hominum gratiam, tantumque favorem consecutus est, ut non alia re ad Imperium evectus putetur. *Alex. ab Alex. Gen. lib. 6. cap. 18.* *Ottho Rom. Imp.*

Hieronymus Aleander tantâ memoriâ valuit, ut Latinam, Græcam, Hebraicam, multasque alias exoticas linguas, perfectissimè & loqueretur, & scriberet: primùm Lutetæ docuit Græcas literas, mox in urbem vocatus, à Leone X. Summo Pontifice, legatus in Germaniam mittitur; à Clemente VII. Papa, Brundusinus antistes constituitur: à Paulo III. purpuram consequitur. *Hieronym. Aleander Cardinalis.*

Ludovicus Pontanus Spoletinus.

Ludovicus Pontanus Spoletinus, Romanus cognomine, jurisconsultus doctissimus, incredibili fuit memoriâ nemine antiquorum inferior; memor erat omnium, quæ unquam aut legisset, aut audivisset: memoriter non principia legum, sed leges integras recitabat. *Æne. Silv. in hist. Bas. concil.*

Franciscus Tygri Pisanus.

Franciscus Tygri Pisanus, Professor juris, insigni fuit præditus memoriâ, adeo ut Bartolus sæpè in commentando, ejus operâ sit usus, in legibus, quas in promtu non habebat, inveniendis. *Testis est Baldus, in vita Bartoli.*

Amicus quidam Francisci Petrarchæ incredibili memoriâ artificiosâ præditus.

Franciscus verò Petrarcha (qui vixit ab anno Domini 1340. ad 1366.) sic inquit: Artificiosa memoria in Græcia reperta, apud nos hodie vulgata est: idemq; de quodam suo individuo itineris comite & amico, memorabile narrat exemplum. Amicus quidam meus ab adolescentia, ad hanc ætatem, tam multis & domus, & patriæ laboribus periculisque jactatus est, ut otiosum fermè nullum tempus invenerit; quo nihil huic de qua loquimur facultati, potest esse funestius: Vaga enim mens, multa complectitur, pauca stringit. Cæterùm huic inter varias & innumerabiles, ac discerpentes animum curas, inexhaustam quandam memoriam militarem

militarem insitam, animadverti; quæ crebrò in horrorem compulit, cogitãtem; quantò uberior fuisset, si eam sibi (quod studiosi homines solent) circumvallare & fulcire quotidianâ lectione licuisset; vidisse semel vel audisse, satis est: nunquam obliviscitur: nec res modò meminit, sed verba, tempus, & locum; ubi quid primum acceperit. Sæpè totos dies, aut longas noctes colloquendo transegimus. audiendi namque cupidior nemo est; post annos multos suborta earundem rerum mentione, si quid fortè plus minúsve aut aliter dixissem, submissâ voce confestim admonebat hoc me aut illud verbum mutare: admirantique, & unde nosceret percunctanti, non solùm tempus, quo id ex me audivisset, sed sub cujus ilicis umbraculo, ad cujus undam fluminis, in cujus maris littore, cujus montis in vertice (longinquas enim secum oras circumivi) me singula recognoscente, memorabat: iterum & iterum expertus, ad loquendum illo præsente, quod vel cautior certè, vel tardior factus sum. & hæc quidem memoria sub armis, at sequens sub amictu religionis, inter libros habitat. *Fr. Petr. & ex eo, in Thea. vitæ hum.*

Videtur dicere, illum militem, postea monachum factũ.

Quis autem æquus rerum æstimator, con-

siderans,

siderans, quæ ex Francisco Petrarcha hic citata sunt, nempe artificiosam memoriam sua ætate, in Italia vulgatam fuisse; militem illum amicum ab adolescentia, multorum itinerum individuum comitem ipsi fuisse, sæpè totos dies & noctes colloquiis productos, aliasque circumstantias; ac maximam occasionem consequendæ hujus artis, vel ab ipso, qui eam tali amico, viro tam docto, negare non potuisset; vel ab aliis, judicet illam ab ipso esse neglectam? præsertim cum memoriæ illius excellentia, communi omnium famâ, celebretur: & à scriptoribus in numerum illorum relatus sit, qui admirabili memoriâ insignes fuerunt: ac scripta facilè testentur, quantus ille Orator, quantus Poëta Latinus, quodq; Italorum Poëtarum princeps habeatur. unde rectè colligitur, artem memoriæ avidè ab illo fuisse susceptam, & diligenter excultam; atque maximo sibi in studiis omnibus adjumento, & ornamento fuisse.

Franciscus Petrarchæ Princeps Poetarum Italicorum.

Ioannes Picus Mirandula.

Ioannes Picus Mirandula, comes concordiæ, vir propè divinus, ad tantam ejus adminiculo, eruditionem adhuc juvenis pervenit, ut naturæ miraculum meritò appellari potuerit; qui si superiores omnes non superavit, at certè multos æquavit. hunc enim

enim tradunt, audita semel à recitãte carmina, & directo & retrogrado ordine, mira omniũ admiratione, recitare solitum. *Fulg. lib. 8. cap. 7. Iac. Col. Camp. M. etiam Ant. Sabellici hæc sunt verba, cap. IX. lib. X. exemplorum*: Sunt his, *inquit* memoriæ exempla subtexenda, qua secundum rationem, nil Deus dedit homini sanctius, nil utilius & ad eruditionem aptius; est hæc thesaurus disciplinarum omnium, artiumq; studio & labore quæsitarum custos fidelissima. Constat id bonum naturæ beneficio, augetur tamen & excolitur arte; in quo genere, unum exemplum & singulare vidit ætas nostra, in Antonio Ravennate, qui multa millia rerum stans percipiebat animo, & eo quo accepta essent ordine, memoriter reddebat: *sed hæc artificii sunt, non naturæ.* *Anton: Raven:*

Petrus Ravennas, omnes Italiæ homines, copiâ rerum, absque chartarum revolutione superare volebat; in sacris Scripturis, in jure Canonico civiliq́ue, & aliis multarum rerum auctoritatibus; idque dum esset adolescens, quæ sic hac arte reposuit, ut in promptu essent, quando ingenii vires experiri cupiebat: ita ut cum patriam relinqueret, ut peregrinus urbes Italiæ videret, gloriaretur se posse verè dicere illud Biantis Philosophi: *omnia mea mecum porto. P. R.* *Petrus Ravennas.*

Franciſcus Maturantius ſæpè dum fieret, ſe interfuiſſe ſcribit; nonnullos ætate ſua, auditos quamlibet multos verſus, protinus reddidiſſe: quod veteres Græci in Theodecte mirati ſunt.

Bernardus Levinheta artium & Theologiæ Doctor, ſic quodam loco habet: Docui Toloſæ quendam Iuriſtam hanc artem qui una nocte omnes rubricas decretalium, memoriæ commendavit. eſt enim facilis memoriæ exercitato in ea. Alius quidam S. T. Profeſſor, ſic de ſe ipſo in ſcriptis reliquit: & itidem experimento quibuſdã nonnunquam patefeci eandem materiam audientibus recenſens, nunc illinc intentans exordium, nunc hinc, nunc ex medio finem repetens; nunc quidem caput & frontem facilè quippe eſt, ex locis ordine collocatis, materiam imaginatam, ordinatè & ſapienter pronunciare: certitudinaliterq́; de uno in alterum procedendo, ordine recto & reflexo, atque præpoſtero, *& idem alibi*: Sicuti contigit, ut in auditorii me admirationem, omnes Iuris Pontificii titulos, ordine & recto & præpoſtero, æquè feliciter recenſerem. *idemq; paulò ante*: In arduis, quæ ſubitò efferenda ſunt, & ad quæ naturalis memoria, abſque artis ſuffragio, non ſuppetit, hoc beneficio

Iuriſta quidam.

Alius S. T. Profeſſ. an. 1520.

Idem Nota.

beneficio fungor; ut leviùs capiam, quod majori fiducia ritè pronunciaturus sim; & itidem diuturniore hæreat tempore. Quemadmodum præter hebdomadales conciones, semel de Christi passione, sermonem locis mancipavi; unde sat est mihi, annuatim semel dumtaxat loca repetere; sicque jam octo vicibus, eundem apud populum declamavi. Sic quoque in natali intemeratæ virginis Mariæ, de nobili ejus (secundum carnis propagationem) prosapia, ab Adam exorsus, singulas usq; ad hunc evangelii locum, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus, dinumeravi generationes: absque ulla difficultate. Sic quoque in natali Dominico, in cæna ultima Christi, & aliis temporibus, ex subitanea præventus obedientia, mox didici, quod firmiter (ut testes sunt qui adfuere) eloquerer. Hæcce ne putes abs me jactari? quin potiùs ut discas, quam mirabilia (quæ aliis stupentibus videntur impossibilia) facilè sit; hac arte operari.

Mar. Anton. Muretus variarum lectionum lib. 3. ad Hippolytum Estensem, S. R. E. Cardinalem illustrissimum cap. 1. titulo; De admirabili quorundam memoria, post ea Senecæ de se verba, quæ supra hic à nobis inserta sunt,

sunt sic inter alia scribit: hæc Seneca, quæ mihi semper mirabilia, ac propè dixerim incredibilia visa erant, donec vidi ipse, quod nunquam credidissem. Habitabat Patavii, in vicinia mea, homo adolescens, genere Corsicus, honesto ut ferebatur, & credibile erat, apud suos loco natus: qui eò venerat, ad jus civile discendum, quo in studio, ita diligenter & attentè, annos aliquot consumserat, ut magna jam esset, de doctrina illius hominum opinio. ventitabat autem ferè quotidie in ædes meas, devexo jam & inclinato sole, æstas enim erat; ibique quod ædes satis amplæ erant satisque apricæ, aut sub dio ambulans, & cum æqualibus suis jucundissimè colloquens; aut saltu, aut luctâ, aut trigonali pilâ corpus exercens, fessas studiorum laboribus vires, honestissimè reficiebat. Rumor erat, tenere eum artem quandam memoriæ, cujus auxilio multa efficeret, quæ credi, nisi spectata, non possent. is cum ad aures meas perlatus esset, cupido me incessit, mirabilia illa & inaudita spectandi, (ejusmodi enim in rebus, minimè omnium auditis, credulus esse soleo) visum est igitur, quando ipse domo mea arbitratu suo uteretur, hoc ab eo quasi εὐοίκιον exigere: ut, quod sibi commodum foret, præsente me, artis

Corsicus adolescens honesto loco natus hac arte memoriæ præclarissimus.

Pretium domus.

suæ

suæ specimen aliquod daret: ille nihil gravatus, lubentissimo animo se cum vellem, facturum esse respondit; statim cum per ipsum mora non esset, in proximum cubiculum ingressi, consedimus: cœpi ego dictare, nomina Latina, Græca, Barbara; significantia, nihil significantia; tam varia, tam nihil inter se cohærentia, tam multa, ut & ego dictando, & puer, cui mandatũ erat, ut ea exciperet, scribendo; & cæteri qui aderant, audiendo atq; expectando, fessi jam miris modis essemus omnes; ipse unus ex omni numero alacer ac recens assiduè plura poscebat. Sed cum ego ipse modum aliquem fieri oportere dixissem, abundè mihi satis factum iri, si vel dimidiam partem eorum, quæ dicta erant, recitare potuisset; tum ille fixo ad terram obtutu, magna nostra omnium exspectatione, tacitus aliquandiu stetit, quid verbi opus est? vidi facinus, ut ille ait, mirificissimum, ὁ δαιμόνιος ἐκεῖνος exorsus loqui, planè omnia, eodem ordine, nusquam propè insistens, nusquam hæsitans, nobis stupentibus reddidit; deinde ab ultimo incipens, sursum versus pervenit ad primum; rursus ita ut primum, tertium, quintum, ac sic deinceps omnia diceret: quo denique quisque voluerat ordine, sine ullo errore

Nota specimen mirabile.

Dæmon ille id est sapiens quemadmodum dicitur, dæmonium hominis.

omnia referebat. Idem postea, cum ei jam familiarior factus essem, ipse expertus, usquequaque verum deprehendi. Ipse mihi aliquando affirmavit (& erat ab omni jactantia alienissimus) se sex millia nominum, eodem modo recitare posse: quodque admirabilius est, ita hærebant omnia in animo, ut vel post annum diceret, se quæcunq; memoriæ commendasset, minimo negotio repetiturum. Ego certè, post multos dies, facto periculo verum comperi. neque hoc satis. Diversabatur apud me Franciscus Molinus, Patricius Venetus, adolescens optimarum artium studiis mirificè deditus, qui cum se memoriâ parum firmâ esse sentiret, oravit hominem, ut se artem illam doceret; vix ostenderat se id velle, cum Corsicus operam ei suam prolixissimè detulit; dictus est locus, dicta hora ad quam quotidie convenirent. nondum sex aut septem dies abierant, cum ille quoque alter, nomina amplius quingenta, sine ulla difficultate, aut eodem, aut quocunque alio libuisset ordine repetebat. Hæc ego vix auderem literis prodere, mendacii suspicionem reverens, nisi res adhuc esset recens, & Nicolaum Lippomanum, Petri Alexandri filium; Lazarum Mocenicum, Francisci filium; Georgium

6000. nominum semel audita posse recitare suspicor in Mureto, qui 36000. ponit, errorem esse.

Franciscus Molinus 500 semel audita quo vis ordine repetebat.

Nota.

gium Contarenum, Laurentii filium: Patricios Venetos, optimos & nobilissimos adolescentes; alioſque præterea innumerabiles, ejus rei testes haberem: à quibus, si mentirer, vanitatem meam coargui nollem. Artem verò illam Corsicus accepisse se dicebat, ab homine Gallo, quo puer domestico præceptore usus esset, &c. Cum talia experimenta, effectuſq; artis tam stupendos vidisse se, & expertum rei veritatem fateatur Mar. Ant. Muretus, idemque paulò post, commutatis verbis repetat; testimonio suo comprobet, & (nominatis fide dignis quatuor) innumerabiles testes habere se dicat, ac Corsicum illum adolescentem tam promtum ac facilem in tradenda Francisco Molino arte, viderit; non est dubitandum, Mar. Ant. Mureto illam cordi fuisse, & avidissimè ab ipso, quasi diuturnam sitim explere cupiente imbibitam: ac postea per omne vitæ curriculum, sedulò excultam: maximumque adjumentum studiis (quorum testes sunt locupletissimi tot ejus libri editi) attulisse: atque ad illum quem attigit eruditionis gradum, illa arte tanquam scalâ conscendisse.

Gallus quidam hujus artis peritus.

M. Ant. Muret.

Iacobus Crithon Scotus in omni scientiarum genere, & nobilium artibus clarus,

Crithon Scotus.

tam fuit in eadem excellens, ut nulli veterum aut recentiorum cederet: miraculum mundi futurus, nisi in ipso ætatis flore in Italia obiisset.

R. D. Io. Francisci nuncius Apost.

Reverendissimus D. Ioannes Franciſci, Episcopus Vercellensis, Nuncius ille in Belgium à Summo Pontifice missus, Leodii nuper mortuus, hujus artis specimen sæpè dedit eximium: cum summâ auditorum admiratione. cujus rei testes habeo viros clarissimos. Reverendissimus quoque D. Franciſcus Panigarola Mediolanensis natione; Episcopus Astensis, quanta beneficio hujus artis præstiterit, testis est Antverpia, aliæque Belgii civitates: & etiamnum Italia.

R. D. Franciscus Panigarola Episc.

R. D. Th. VVatsonus. S. T. D. D. & Ep. D. Ioan. Iongus S. T. D.

Reverendissimus D. Thomas VVatsonus Episcopus Lincolnienſis, D. item Ioannes Iongus, S. Theol. DD. in omni scientiarum genere insignes, in eodē ambo carcere plus minus XXIV. annis detenti, & tandem squalore ejus mortui, hac arte excelluerunt.

R. D. Cuthebertus Tonstallus Ep.

Reverendissimus D. Cuthebertus Tonstallus, Episcopus Dunelmensis I. V. D. Legatus sæpè ad Carolum V. Imp. & Hispaniarum Regem, hac etiam fuit illustrior.

R. D. P. Canisius Soc. Iesu Theol.

R. Pater D. Petrus Canisius, insignis ille Societ. Iesu Doctor, in concionibus & studiis mirum in modum hac fuit adjutus.

D. Ioannes

D. Ioannes Chetonus

Chetonus Anglus S. T. D. Romæ mortuus; D. Georgius Bullocus, S. T. D. Auctor concordantiarum Biblicarum majorum; D. Augustinus Hunnæus Hechlinienſis: D. Henricus Gravius Lovanienſis S. T. DD. ac in Academia Lovanienſi Profeſſores Regii, ejuſdem artis periti fuerunt: ſicuti mihi Theologi fide digni retulerunt. multos præterea alios viros, non minùs pios, quam doctos, Theologos, Iuriſperitos, Medicos, Philoſophos, aliosque diverſarum profeſsionum, recenſere poſſem; qui etiam in vivis, in noſtro Belgio, & alibi hanc artem avidè amplexi, excolunt; quorum aliqui affirmarunt, ſe precio mille florenorum illâ memoriæ arte carere nolle, alius ne mille quidem coronatis Gallicis, alius item tantùm ſe fructum ejus adminiculo percepturum vidit, ut lubens ac volens coram celeberrimæ civitatis Secretario & duobus teſtibus comparens, declaraverit, ſancteque jurarit: ſe mille florenis hoc exercitio artis memoriæ nolle carere. A. H. I. V. Licent. Senatorii ordinis, pro arte ſuſcepta liberaliter ſolvens, pecunia æſtimari non poſſe, aut reddi æquivalens, ingenuè ac ſponte confitebatur. Omnibus unum tantùm ſubjiciam, quem primo loco collocatum, merito

Chetonus S. T. D.

D. Georgius Bullocus S. T. D.

D. Au. Hunnæus S. T. D. & Prof.

D. Henricus Gravius S. T. D. & Profeſs.

Plures alii omnium profeſſionum.

atque optimo jure decuit, cum solus ille in-
Thomas Aquinas. star sit omnium. D. Thomam Aquinatem, præstantissimum illum Doctorem, extra omnem controversiæ aleam, communi omnium Facultatum Theologicarum, totiusque Ecclesiæ suffragio positum, quem memoriâ usque adeo tenaci fuisse, testatur *L. Sur.* invita ejus, ut quod semel legisset, facilè animo retineret: quemque hanc artem non solùm tenuisse, eaque in præclaris suis scriptis usum fuisse, sed etiam ad posteros transmisisse ex divinis ejus operibus manifestum est, sic tamen, ut nemo unquam hanc, ejusque exercitium ex illo potuerit assequi, nisi audito prius artis memoriæ perito.

Non videtur alienum à proposito, hic adscribere epistolam apologeticam, contra
R. P. I R. hujus artis calumniatores à R. quodam Patre, S. T. Professore, anno 1520. scriptam; ut talis viri auctoritas, plus apud omnes ponderis habeat, cujus hæc verba: Ignavi plerunq; insectantur ingenuas disciplinas, quas assequi posse desperant; juxta vetus proverbium, *Scientia non habet inimicum nisi ignorantem.* Si igitur insulsus quispiam Zoilus & blaterans detractor idolorum (intelligit imagines) hujus negotii varietate attonitus,

Epist. apologetica contra artis memoriæ calumniatores.

tonitus, hanc artem plus oneris quam frugis aut honoris cumulare, convitians despiciat; veluti mentis destructivam; & quæ hebetes, atque phantasticos sui æmulatores efficiat; hujusmodi velut hebetem, & ad bonas disciplinas ineptum, posthabeto; tuque firmiter teneto, hanc artem hujusmodi reddere phantasticum, qualem vult Aristoteles, lib. 3. de anima, intelligentem, quem necesse est Phantasmata specularí: unde eruditus quisque efficitur literarum gnarus; cum nostra cognitio à sensatis maximè vendicanda sit. nequaquam tamen Phantasticos generat, fatuos, insanos, deliros, mente syncopatos, vel ingenio obscuriores, nisi forsan id propter abusum (ut in quibusdam aliis contingere novimus) accidat. Alioqui Aristoteles, Tullius, Seneca, & id genus pleriq; alii priscorum (ut neotericos viros literatissimos eo munere taceam) stolidi, insipientes, & fatui venirent insimulandi. quodsi absonum videatur, digito labellum premat, quisquis est talis detractor; suaque deputet ineptiei, crassitudini, & segnitiei, quod ipse tanti sit muneris exors; quo egregios quosque ægro fert animo præclaros emineré, & defleat tam alienum à se hoc prædi-

Aristoteles lib. 3. de anima.

Nota.

vinum beneficium, inter literatos maximè præcipuos exercitatissimum: arcanâ licet forsan mente repositum, cujus vim hi duntaxat novêre, qui perpaucis acquisitum canonibus, jugi meditatione, exercitatione, & sedulo usu, facilem quendam habitum memorandi generarunt: quem nec leviter amittere possent. hinc vana est eorum concertatio, qui propterea nullius momenti esse contendunt, quod in longos jam annos inter abditissima privatim dilituerit. eadem namque ratione, viderentur aspernanda, quæ indies humana industria ex secretissimis eximit latebris. & quis nescit, veteres plura suis etiam amicissimis abscondisse? verùm sunt plerique, qui priusquam statuti cursus metam attingant, turpiter defatigati, bravio frustrantur, cæteri gravioribus prædiuntur negotiis, qui nec conferre queunt, quod usu & exercitio non firmiter radicaverunt; multi verò floccipendentes, cujus fructum non dum experti sunt, quod maximè laudandum erat, vituperio afficiunt. ê diverso qui ostentationis gratiâ peragunt, inanis gloriæ viri, elaborant hoc artificio, ut audita omnia, & lecta quoque, coram cæteris recitare queant; & hi quod aliis in bonum noscitur collatum, in abusum pertrahunt;

Rejectatio objectionis.

NNB.

trahunt; veluti multi difficilimas in Logica enodare tentãtes intricationes, seſe inaniter torquent; & in Rhetorica verbis aërem verberant: in Philoſophia, inſcrutabilia rimantur: in Theologia, altiora ſe quærentes, opprimuntur â gloria: ut qui ſe ſapientes autumant, ſtulti fiant. Non mirum igitur, ſi induſtriâ plerique abutantur, cujus tam copioſus eſt fructus his, qui in Eccleſiæ Dei ædificationem, & orthodoxorum inſtructionem, prædicationes evangelii, epiſtolarum, de virtutibus & vitiis, moralium informationem, hiſtorias, ſanctorum vitas, ad Dei laudem, & eorum præconia, ad animarum ſalutem recolligunt, quâm citiſsimè hac arte firmiter tenent, & cum fiducia efferunt; quod alioquin longo tempore, debiliter, & cum formidine fieret: cum interminſſione nonnunquam vel, majoris, vel ſaltem æqualis boni. Idem alibi ſic de eadem teſtatur. Artem qua naturalis juvatur memoria, priſcorum conceſsit auctoritas, quam non minus neceſſariam, quam conducibilem ſeu utilem præclariſsimi quique virorum, omnifariam exercitatiſsimi, quotidianâ convicti experientiâ, abſque aliorum auctoritate, ſuâ ſponte profitentur: de eo nihil hæſitantes, conſtanter aſſerunt; & naturæ

Abuſus artis memoriæ.

Vtilitas artis mem:

confirmatio ab auctoritate priſcorum.

commoda retinere, & amplificare rationę doctrinæ alibi idem: hac arte firmiter, fixè, ac faciliter, recto præpostero q; ordine, cum libuerit pronunciamus, ut illis depositum fideliter reddentibus, prodigium ac mirum quid effeciſſe cenſeamur. quàndoquidem omni timore abacto, recenſemus penè infinita collocata promtiſsimè: quod cæteris hujus negotii ignaris, ſuperhumanum videtur.

alius R. P. S. T. Profeſs. C. R.

Item alius quidam R. P. S. T. etiam Profeſſor, quodam loco inter alia de arte memoriæ ſic habet: Quodcunque abjectum, vel etiam nobile, ex ipſa natura nobis inesſe noverimus, quamprimùm vigilanti ſtudio, induſtriâ, arte, exercitioque excolendum erit; ut quod abjectum & minimum, nobile & inſigne: & quod magnum & illuſtre, egregium excellentiſsimumque fieri queat. Arte naturæ defectus operiuntur, & quæ nimiùm abjecta fuerant, eadem in re nobiliſsima omnibus apparent. Artem enim naturam perficere, ac multa complere, quæ nequaquam natura perficere poteſt, aſſeveravit Philoſophorum omnium princeps Ariſtoteles. quæ enim vis animi noſtri, quæ potentia, qui ſenſus, quod denique membrum, arte perfici non poterit?

In hanc ſententiã multa quoq; ſupra poſita ſunt.

rit? quare censores nolumus eos, qui vix inspecto titulo (ne dicam percepta arte) tanquam doctissimis ethnicorum & Christianorum viris sapientiores, artem despiciunt: quia forsan memoriâ naturali clarent, quam hæc confirmaret præceptio, clarioreḿque redderet; quia ars perficit naturam, si Aristoteli credimus. Nec illos admittimus, qui prima Philosophiæ elementa non attendentes, aut applicare nescientes, vel forsan non intelligentes, sensibiles figuras bona fronte negant prodesse posse memoriæ; affirmantque hanc per sensibiles figuras memorandi artem, laboriosiorem esse, quam simpliciter & naturaliter memoriæ hauire. quibus etsi rationibus respondere possumus, dedignamur tamen. & post pauca: Memoria perficitur arte, nobilitatur artificio, augetur industria. quare si multo labore & industria conati sunt quamplurimi, corporis aut animi vires arte perficere, nequaquam erit indignum, hanc memorandi artem discere; qua dormiens memoria excitatur à somno; labilis fit tenax; ignobilis, nobilitate donatur; abjecta, clarescit; parva accipit incrementum; movetur immobilis; mortua reviviscit; quæ si natura vigilans ac tenax; nobilis & clara; mobilis & vivax

Nota. Vis artis memoriæ.

& vivax aliquo in homine exstiterit, in eo, ipso artificio & industriâ præstantissimam fore, æquo animo pollicemur.

Quis igitur tam egregium memoriæ donum, ejusque multiplices fructus, hac brevi arte capescere nolit? Hanc igitur artem, qua præteritorum meminisse, & ea tanquam libris exarata, vel in marmore sculpta, ob oculos habere possumus. (quod ab omnibus concupitissimum est) amplexamini vos omnes, qui cupitis scire, & memoriæ scita quam plurima mandare; ac cum oportunum fuerit, vobis vel aliis ea ipsa foris voce & lingua proferre desideratis: atque naturæ in memorando benignitatem arte complete: Deo juvante, cui laus, honor, virtus & gloria in secula seculorum, amen. Idem de ejus facilitate sic habet.

Videre quasi in marmore sculpta vel libris exarata.

Idem de facilitate artis memoriæ.

Hic autem timeo, ne legens perdifficilem, tædio plenam, & nunquam nisi magno cum labore, & longo exercitio hanc artem comparandam fore arbitretur: propter infinitas ferè figuras, similitudinem memorandorum retinentes, quas in hac arte invenire, & uti compellimur; atque ita post longam prædictæ artis lectionem, animo dejectus, ab incepto desistat opere, & optata ab illo utilitate privetur: Scito ergo mi lector, quod

quod postquam sex mensium spatio vel circiter, operam huic arti navaveris, exercitioque assequi & complere conatus fueris; quod tam facilè, tam celeriter, tam copiosè tibi occurrent memorandorũ figuræ, quam facilè, dum aliquid scribis, literarum alphabeticarum tibi suppetunt notæ. quod ideo dicimus, non ut cujusque minimæ rei, figuram semper ponere, vel utilitate debeas, vel necessitate cogaris (nam pro rebus principalibus dumtaxat, sunt necessitate confingendæ figuræ, atque pro discursibus, & rerum multarum replicationibus pro reliquis dicendis & recitandis figuras ponere non impellimur) sed ut artis hujus vim exercitiique utilitatem pernoscas. C. R.

Non cujusq; rei figura ponenda.

DE NONNVLLIS ARTIS MEMORIAE VTILITATIBVS.

CAPVT III.

QVanquam variæ maximæq; hujus artis utilitates, ex superioribus meridianâ luce clarius appareant, quas diligenter etiã atque etiam considerari velim, tamen non erit alienum à proposito hoc loco, & sub suo titulo,

titulo, illas ipsas summatim repetere: nonnullasque adjicere. est itaque.

Ars memoriæ quibus utilis, in genere.

1. Ars memoriæ perutilis Theologis Concionatoribus, Confessariis, Iurisperitis, Medicis; Philosophis, Oratoribus, Poëtis, Iudicibus, Advocatis, Procuratoribus, Liberalium artium Professoribus, & amatoribus: Mercatoribus, Notariis, Nunciis & tabellariis: aliisque omnibus, cujusque status aut conditionis hominibus, tenacem ac firmam rerum verborumque memoriam desiderantibus, *I. R: C. R: P. R.*

Hippias 50. Franciscus Molinus 500. Seneca 2000.

2. Longum catalogum vocabulorum, sine sensu aut dependentia accumulatorum, quæ plurimorum dierum spatio (adhibito etiam tædioso labore) naturali memoriæ vix imprimi possent, post unam statim recitationem, à primo ad ultimum enumerare, ne uno quidem, aut ordine unius omisso quis potest, *M. A. M. F. M.*

Et retrogrado ordine reddere.

3. Eadem omnia, pari facilitate, retrogrado ordine, recensere, incipiendo ab ultimo, vel etiam à medio, vel quocunque nominato: item per intervalla; ut 5. 7. 11. 17. 19. 24, &c. vel 14. 8. 14. &c. vel 3. 6. 9. 12. 15. 18, &c. vel 2. 4. 6 8. 10 12. &c. vel denique 10. 20. 30. 40. 50. &c. vel alio quovis ordine, quod nullus naturali memoriâ fretus, quâ-

Et intercalari.

vis

vis feliciſsimâ, etiam in oratione Dominicâ, indies à quibuſdam toties repetitâ, præſtare poteſt, *M. A. M Fr. M.*

4. Si quis recitet ex iis aliquot vocabula, nunc hoc, tunc illud, per intervalla; & ſingulorum numerum poſtulet; ad id poterit, auxilio hujus artis, ſtatim ſine enumeratione reſponderi. Exempli gratia, ſi quis ſuppreſſo numero, pronunciet 3. 6. 10. 18. 22. 29. 34. 38. 47. 52. 58. 63. 69. 73. 76. 80. 85. 88. 95. 98. 100. 105. 111. 118. 125. 103. &c. & petat quorum ſit hoc, illud, &c. pro cujuſq; libitu, nullo negotio numerus cujuſque reſpondebitur, ab exercitato in hac arte, vel ſolo octiduo. *M. A. M. F: M.* *Dicere numerum.* *Idem jud: de Sent: & rebus.*

5. Contra, ſi quis per intervalla, expreſſo tantum numero, petat 5. 9. 14. 19. 26. 33. 45. 48. 53. 57. 61. 68. 72. 77. 82. 87. 94. 99. 104. 107. 117. 119. 124. &c. peritus hujus artis, ſine mora, enumeratione & errore, vocabula petita dicet: uſque ad incredibilem numerum. Si quis velit octo diebus in hoc tantum ſe exercere, nomina quingenta ſemel audita poterit repetere; ſi diutiùs, non 500. modò. ſed 1000. 2000. &c. prout libebit ſe in hac arte exercere, *M. A. M. Fr: M.* *Contra expreſſo numero dicere vocabula.*

6. Cyneas poſtero die quam Romam veniſſet, novus homo, Senatum, & omnem Senatui *Cyneas &c alii ſupſ. 23.*

Senatui circumfusam plebem, nominibus suis persalutavit. Cyrus in exercitu, cui numerosissimo præfuit, nominatim singulos alloquebatur. Idem fecit L. Scipio Asiaticus, & præterea omnia civium Romanorum nomina. Themistocles Athenienſium, memoria tenuit. Corsicus quidam adolescens honesto apud suos loco natus, Latina, Græca, Barbara, significantia, nihil significantia; tam varia, tam nihil inter se cohærentia, tam multa, ut dictando, scribendo, audiendo, atque exspectando fessi mirisessent, qui aderant modis; planè omnia, eodem ordine, & retrogrado, & intercalari, sine ullo errore reddidit; idemque, ab omni jactantia alieniſsimus, affirmavit; se triginta sex millia nominum, eodem modo recitare posse: quodque admirabiliùs est, ita hærebant omnia in animo, ut diceret se, vel post annum, quæcunque memoriæ commendasset, minimo negotio repetiturum. M. Ant. Muretus addit, post multos dies facto periculo, verum se comperisse. Supra fol. 32. & 35. & alibi.

Latiùs supra fol. 15. & 10.

multa semel audita recitare & diu retinere.

Curatio defectuum memoriæ.

7. Curatio defectuum memoriæ naturalis, qui sunt oblivio verborum, rerum, vel utrorumque, eorum quæ audivimus, vidimus, legimus, & omnium istorum ordo. *F. R. & alii.* 8. Pete-

8. Poterit enim aliquis per eam artem citò, ac certò, facilè, ordinatè, ac firmiter, infinita mandare memoriæ: non modò per modum historiæ cohærentia, quorũ unum nos inducit in cognitionem alterius, sed etiam res valde disparatas; quæ nullo connectuntur successionis vinculo: videlicet, omnes epistolas unius libri, genealogiam Christi ab Adamo, omnia nomina Pontificum, Imperatorum, omnes excommunicationes, irregularitates, assertiones, quæ longo tempore, laborem & memoriam insignem naturalem requirunt, facili via memoriæ mandare: ut multi experti sunt, I. R: & alii. Dictum est citò; quia hujus auxilio aliquis unâ horâ discet, quod alius licet optimæ memoriæ, vix quatuor. Certò, nam qui naturali memoriæ innititur, facilè decipitur, qui arrificiosæ, omnia sic ferè ante oculos habet, quasi legeret. Facilè autem, quia unusquisq; experitur in se, quanta difficultate memoriæ mandet, centum aut ducenta nomina Sanctorum, Pontificum, vel Imperatorum; quod subsidio artis, nullo ferè labore fit; sive recto ordine, sive retrogrado, sive intercalari. Ordinatè verò, nam qui supradicta Sanctorum, Pontificum, aut Imperatorum nomina, memoriæ tradere conatur,

res disparatas.
genealog: Christi ab Adamo.
Pontifices.
Imperatores.
Citò.
Certò.
Facilè.
Ordinatè.

natur, sæpè unum alteri præponit; hàc autem arte, ita ordinatè proceditur ut etiam minutim recordemur; non solùm nomina, verum etiam circumstantias, & signa illis attributa.

Firmiter. Firmiter denique, quæ enim naturali percipimus, obliviscimur citò: quod non ita evenit in artificiali. Per multos namque annos inhærent, ut noverunt artem callentes. I. R. & C. R.

Res diversissimas. 9. Quascunque itaque res etiam diversissimas, quæ sua varietate memoriam naturalem facilè confunderent, possumus artificiosâ, brevi cogitationis intuitu, firmiter retinere. I. R. C. R,

Quæ frequenter meditanda. 10. Ea quorum frequens aut perpetua recordatio, in sacris devotisque libellis nobis commendatur; ut novissimorum, brevitatis vitæ, cælestium gloria, inferni pœnæ, aliaq; similia: summa cum utilitate animæ, maximaque facilitate, possunt hujus artis viâ, animo ad vivam imprimi. I. R. C. R.

Oratio & meditatio. 12. Conducit præterea ad orationem, & meditationem, & ad plurima alia Pietatis exercitia; quæ longum foret hic omnia recensere. multi.

Si negotium peragendum cum eo ad quem rarus accessus. 13. Si cui cum Principe, aliove (ad quem rarus datur accessus) negotia sint peragenda, multa variaque narratione indigentia,

quæ

quæ partim ob varietatem, partim ob fervorem attentionis, ad res inter loquendum occurrentes, memoriam naturalem sæpissimè confunderent; omnia ista hac arte sic potest aliquis disponere, ut sibi suus animus tanquam liber astiterit. I. R: & alii.

14. Dum sermo nobis est cum iis, quorum narrationem parùm decorè licet interrumpere, & tamen multa occurrunt, quæ ad singula aptissimè responderentur; quæq; ante finem non amputandæ locutionis è memoria naturali elaberentur, illa omnia, hujus artis ope, firmiter retineri possunt. I. R. *Dum non licet interrumpere sermonem.*

15. Item cum multa negotia omnino diversa, subitò homini turbato, expedienda sunt; quæ ob varietatem, & quia tam inopinata, & turbato occurrentia memoriam naturalem perturbarent ac fallerent: hac arte possunt ordine animo firmiter imprimi, atque retineri I. R. & alii. *Multa negotia ac diversa simul.*

16. Accidit, ut media nocte, vel inter ambulandum, vel comedendum (ubi non datur oportunitas calamo quidquam annotandi) multa notatu digna in mentem veniant, quæ vehementer exoptamus memoria retinere; quæ omnia hac arte firmiter conservari possunt: ubi unum aut duo è memoria naturali desilirent. Multi. *Dum oportunitas calami non abest.*

Ex concione multa retinere.

17. In concionibus sacris & exhortationibus fit, ut maximè notanda occurrunt, quæq; summo desiderio memoriâ nos posse retinere optamus; & in tali casu, ubi non sufficit ullo modo naturalis, satisfacit artificialis: maximo cum emolumento. I. R. & alii.

Totas conciones retinere.

18. Concionem vel orationem semel auditam, sic memoriæ imprimere, ut integram (non dico ad verbum, cum id minimè opus sit, nam verba, rebus ordine retentis, ex tempore accommodare, non est unicuique in lingua patria, vel quam juxta ac illam tenet, difficile) eodem ordine repetere: & nullo alio præcedente studio, cum laude quis possit habere. I. R. C. R.

Sermon: de pass. Christi &c.

19. Sermonem de tota Christi passione sic disponere, ut quotannis eundem habere quis possit ad populum, non alia quam unica singulis annis repetitione: non ex scriptis, sed ex memoria facta. I. R.

Arduæ.

20. In arduis, & quæ subitò efferenda sunt, & ad quæ naturalis memoria, absque artis suffragio, non sufficit; hoc artificium usui est, ut leviùs capiatur, quod pronuncietur; & diuturniore hæreat tempore: & mox discatur quod firmiter eloquamur; ac mirabilia facilè hac arte operemur: quæ aliis stupentibus videntur impossibilia. Idem I. R.

12. Semel

21. Semel auditos quamlibet multos versus. 10. 20. 50. 100. imò plures quam ducentos, protinus reddere non solum recto, sed etiam retrogrado ordine. (Theodectes, Seneca, alius quidam, Ioannes Picus Mirandula. & alii) Ia. C. & alii. *Semel aud: mult: vers.*

22. Conciones euangeliorum, epistolarum de vitutibus & vitiis, de moralium informatione; historias, sanctorũ vitas, quam citissimè hac arte firmiter retinere; & cum fiducia efferre: quod alioqui longo tempore, debiliter, & cum formidine fieret. I. R. & alii. *Conciones.*

23. Omnes rubricas decretalium una nocte ediscere: omnes juris Pontificii titulos ordine & recto & retrogrado recitare. B. L. & I. R. *Rubricas decretalium.*

24. Ex Theologia, Iure Canonico & civili, plurima in memoriam reponere; & omnes suæ regionis multitudine ac copia rerum superare, absque chartarum revolutione. P. R. *Ex altioribus discipl: multa retinere, &c.*

25. In omnibus Virgilii libris, penultimos versus continuò, celeriter, memoriter que dicere, & item superiores. Virgilium recitare retrorsum, idque à quocunque loco petatur. Hoc ipsum facere in prosa; in quacunque oratione Ciceronis memoriæ commendata. *Virgilium, &c.*

mendata. *D. Augustinus Tom. 7. lib. 4. cap. 7.*

Cõsiliarius, Pensionarius. 26. Consiliarius aut Pensionarius, de semel atq; iterum lectis multorum foliorum processibus, ita in Senatu referre potest de singulis, nullâ parte causæ alicujus omissa vel circumstantiâ, ut omnibus magnæ sit admirationi. L. S.

Advocatus. 27. Advocatus si centum, aut plures causas habeat, potest sic omnes cum circumstantiis secundum hujus artis præscriptum in memoriam reponere, ut singulis sine ordine accedentibus clientibus, ita respondeat; quasi scripta cujusque ante oculos habens legeret: si verò causæ verbis agendæ sint, ut nonnullis in locis fit, non solùm sua meminisse, sed quæ ibi ab adversariorum parte dicuntur, ut ad singula respondeat, potest retinere. L. S.

In bibliotheca. 28. In bibliotheca ex variis libris multa legere, ac ita memoriæ custodienda tradere, ut domum reversi eodem, aut post aliquot dies, chartis suo singula loco in scribere possimus: quod D. Thomam Aquinatem fecisse, ipsi confitentur Theologi in libro quẽ catenam auream appellavit.

Omnia audita iisdem verbis red: 29. Omnia meminisse, omniaque audita verbis iisdem reddere; tanquam literis in charta, sic in animo, qua meminisse volu-

mus,

mus, perſcribere; ita dicere, ut in nullo unquam verbo memoria decipiat: ita tenere quæcunque diximus, ut ſupervacaneos codices feciſſe videri poſsimus. Iubere aliquem nominari ducem (vel inter Chriſtianos) ſanctum & ſtatim ejus acta curſu reddere, ac in promtu habere quæcunque in animum ſemel deſcenderunt: librum ſemel lectum abſque errore unius verbi recitare, quod de Æ. Hadr. Scribit Spartianus. (Simonides, Metrodorus Scept. Carneades, Themiſt. Portius Latro) Cic. Seneca, & alii.

30. Intra pauciſsimorum dierum tempus, quemlibet id poſſe, quod fecit Cyneas, alius quidam. Hortenſius; quæ ſupra habentur fol. 18. & alibi. Sen: & alii. *Brevi tempore quod Cyneas facere.*

31. Multa rerum millia ſtans percipere animo & eo quo accepta ſunt ordine, memoriter redderel *Ant. Rav: M. A. Sabel:* *Milia rerum percipere.*

31. Linguam quamcunque citò addiſcere; multas linguas callere; legere & audire; ſcribere ſimul & dictare quatuor aut pluribus ſcribentibus, diverſi argumenti reſerias, uno tempore: *Iul. Cæſar.* Quidam fide dignus auctor ſcribit, fuiſſe quoſdam, qui decem ſcriptoribus; diverſi argumenti, diverſiſque linguis, reſ ſerias tanta celeritate *Linguam citò diſcere.*

ritate dictaverint, ut assequi dictâtes, (omissis interdum periodis, verbisque imperfectis relictis) non potuerint. I. a. P. & P. G. 33. Linguam Latinam, Græcam, Italicam, Hispanicam, Gallicam, Belgicam, aut aliam quamcunque, trium mensium spatio addiscere poterit, si modò quis velit totus in hoc esse. Quod de Latina & Græca sic accipiendum est. In primis præsupponitur, quod artis memoriæ promtitudinem habeat mediocrem, deinde ut legendi scribendique peritus sit; utque ætatem 18. 20. aut plurium adferat annorum; & desiderium & ingenium mediocre saltem, & animum laboris patientem: atq; id assequetur tribus mensibus, ut Grammaticas præceptiones maximè necessarias, Rudimentorum, Etymologiæ; Syntaxis, & Prosodiæ, intelligat, & memoriâ teneat: ut promtè loquatur; lecta ex illa, quam sic didicit, in patriam; ex hac, in illam transferat epistolas scribat, ut denique sine magistro, ac viva voce, feliciter progrediatur, quousque velit. Non tamen diffiteor, quin post tres menses, in loquendo, & scribendis epistolis, vel translationibus, aliquoties peccabit in hanc vel illam artis regulam, donec exercitatione aliquid perfecti adsecutus sit; neque tam exactum fore, ut

Quod Lat. aut Græ. lingua 3. mens. doceri queat.

Conditiones quædam.

Quousque 3. mens. in Lat. aut Græc. lng. perducendi.

pueri

pueri sunt, qui sexennium aut octennium in lingua Latina discenda consumserunt; quis enim hoc non videt, tam brevi tempore fieri non posse? sed quemadmodum vulgò callere linguam aliquam dicitur, qui promtè loquitur; loquentem vel concionantem intelligit; qui epistolas scribere, ex una in aliam transferre potest; etiamsi aliquoties in loquendi scribendive usu, in regulas artis peccet, in genere, numero, persona, aut similibus, (quod ferè omnibus & boni judicii, sed ad illa non attendentibus, sæpissimè contingit; eodem modo accipiendum est, de lingua aliqua: præsertim Latina vel Græca, intra trimestre discenda. Imo ausim dicere, id obtineri posse, sine subsidio artificii memoriæ. quod tam mirum videri non debet, cum exstent hac de re doctorum virorum testimonia, & consilia: & non desint, qui eam quam nos tribus mensibus promittimus metam, uno attingi posse affirment. verùm hæc non pueris, (quos scholis relinquimus) sed adultis, offeruntur; quos valde piget neglectam à se pueris, Latinam linguã; ideoque vel centum aureis gallicis, vel centum libris Flandricis illam brevi tempore emtam vellent. L. S.

Quis vulgò linguã aliquam callere dicatur.

Superiora etiam absq; artemem. posse obtineri.

Vno mense linguam aliquam discere.

34. Hac quoque arte totum ferè vetus & novum

Vtrumq; testamentum, Iuris: Medic. novum testamentum, Iurisprudentia, Medicina, aliæque artes liberales, sic disponi posse videntur, ut postea non opus sit, ad libros refugere, sed in memoriâ, repetitione secundum artem facta, per totam vitam posse retineri, neque hæc solùm, sed historiæ sacræ, profanæ; D. Thomas Aquinas, aliiq; Doctores. Ph. G. & L. S.

Doctores Ecclesiæ Aquinas. Bibliotheca in memoria. 15. Quodque admiratione majore dignum est, non desunt viri graves, qui totam bibliothecam (non libros tantùm omnes, sed contenta librorum omnium) in memoria posse construi affirment, quam per mare per terras, nullo negotio, nullo sumptu circumferri posse demonstrant: ac faciliùs id fieri quam aliam bibliothecam erigi; quod sine magnis sumtibus fieri nequit quamque circumferre nobiscum esset molestissimum tædiosissimumque. Ph. G.

Vtilitas artis: in genere defectus supplet. 36. In summa, ars memoriæ juvat naturalem, quæ sine ea egregia esse non potest; retinet naturæ commoda, eaque ratione doctrinæ amplificat; defectus memoriæ naturalis supplet, suos amatores ac possessores valde decorat atque locupletat; præterita tanquam libris exarata, vel in marmore sculpta, ob oculos habere facit: ars memoriæ est rerum cœlestium & terrestrium te-

nax ac

naxac tutum scrinium: hac arte dormiens memoriâ excitatur à somno; labilis fit tenax; ignobilis, nobilitate donatur; abjecta claresçit; parva accipit incrementum; movetur immobilis: mortua reviviscit: quæ si natura vigilans & tenax: nobilis & clara; mobilis & vivax, ullo in homine exstiterit, in eo, ipso artificio & industria præstantissimam fore, æquo animo pollicetur. R. P. C. R.

Multæ utilitates brev. causa omittuntur.

37. Multæ præterea aliæ brevitatis causa omissæ, his perspectis, facilè colligi possunt. Est autem hic notandum, homines plerumque conqueri, non de memoria, sed de ingenio; dicentes eos esse felices, qui omnia memoriæ mandanda, tam apte suo tempore possint eloqui, atque prius in animo dispositâ conceperunt: cum tantum defectus sit in exercitio memoriæ artificialis; quam utique magno suo negligunt damno. Si quis enim conferat artem Rhetoricæ, Dialecticæ, Musicis, naturalem cum artificiosa; aut quamvis aliam, Architecturam nempe, picturam, agriculturam, mercaturam, sartoriam, textoriam, sutoriam, &c. in illis qui artem didicerunt, cum aliis qui naturam tantum ducem sequuntur; quantum discriminis sit, quis non videt?

Quid discrimen inter effectus artificiosos & naturales.

det? eodem modo de arte memoriæ sentiendum est, si æqui rerum æstimatores esse volumus.

Conditiones in tradenda arte mem. et tempus.

Docebitur hæc ars memoriæ, cum sufficienti praxi; spatio duodecim aut quatuordecim dierum: non quod necesse sit, totos illos dies impendere, sed horam quotidie unam: percepta verò arte, quotidie semihora, vel ad summum horula ejus exercitio tribuenda est: ut major indies promtitudo comparetur. Notum est enim tritum doctorum sermone proverbium: exercitationem posse omnia; & in omni disciplina, vel ipso Cicerone teste, infirmam esse artis perceptionem, sine summa assiduitate exercitationis; tum verò in mnemonicis, minimùm valere doctrinam, nisi industria, studio, labore, diligentiaque comprobetur. Non enim sicuti à cæteris studiis abducimur nonnunquam occupatione, ita ab hac re potest deducere nos causa aliqua. nunquam est enim, quin aliquid memoriæ tradere velimus, & tùm maximè, cum aliquo majore negotio detinemur. Quare cum sit utile, facilè meminisse; non nos fallit, quod tantopere utile sit, quanto labore sit appetendum: quod poterimus existimare utilitate cognita.

Exercitatio potest omnia Cicero.

Honora-

Honorarium seu precium indicabitur, quod in antecessum; hoc est, ad manum numerabitur; sub hac tamen conditione (ne quis fraudem cogitet) quod si arte percepta, & tribus mensibus quotidiana unius horæ exercitatione confirmata, non judicaverit is, qui didicit, conscientiâ sua teste, multò pluris valere; majoresque longè fructus percepisse, & indies percepturum, quàm pecunia data valet, sine contradictione restituetur ipsi, ac ejus arbitrio relinquetur tantùm dare, quantum velit: proque restitutione prædicta, obligatio, aut præs idoneus dabitur.

Honorarium in antecessum.

Qua condit.

Postremò, non est cur aliquis, qui de hac arte nihil ante audierit, ad tam mirabilium effectuum lectionem obstupescat, sed naturalis memoriæ effectus consideret, quæ majore cum admiratione, sibi fideliter tradita, ante annos 5. 10. 20. 30. 50. si interdum apud animum ea quis expenderit: ac reddit quidem ad verbum omnia, non tamen de singulis vocibus cogitantibus: sed simulatque concipimus, cupere nos recitare primum librum Æneidos, vel primum Officiorum Ciceronis librum, Orationem pro M. Marcello, &c. & primum verbum prolatum est: Arma virumque cano; Quamquam te Marce fili,

Naturalis mem. quanto stupendi effectus.

ce fili, Diuturni silentii P. C. &c. (quasi epi. epistomio è vase aut fonte extracto) tanti. sper fluũt cætera, donec aliquid supereſt eo. rum, quæ antea memoriæ cõmendavimus; idq;, inquam non de singulis verbis cogitan. tibus, & vix etiam de re; in hac arte verò, ni. hil recitamus, quam quod (sicuti oculis ex. terioribus literas in charta, vel tabula scri. ptas) subtiliore quodam ac nobiliore modò, quasi interiori visui objectum, videmus. Quemadmodũ igitur nemo miratur, si quis tota biblia legit, Iurisprudentiam, Medici. nam, vel alias quascumq; disciplinas medi. tantibus libris & literis: quod valde stupen. dum esset inter eos, qui legere omnino ne. scirent, neq; de ea arte audivissent; sic peri. tos artis memoriæ stupendos effectus ope. rari, apud ignaros aliquo modò, apud intel. ligentes tantæ admirationi esse non debet. quæ videmus enim, percipimus & reddi. mus hac arte. Si quis 2000. vocabula Lati. na, Græca, Barbara, &c. pronunciari semel audiret, deinde scripta ex ore dictantis, in. specto libro legens recitaret: vel 200. aut 300. versus, idq; ordine recto, retrogrado aut intercalari, an miraretur aliquis id videns? minime verò; idem judicium de artificio memoriæ.

In arte memor: non nisi certo proceditur.

Median: lib. & lit: multa repetere.

Arithme-

Arithmeticus præmissis quæstiunculis paucis, quæ longissimè à propositò videbuntur esse imperito, per supputationem, quot nummos in crumena, quod tegulæ in magno templi tecto, sine errore dicet. *Quid per artē Arithmeticus suam.*

Aqua vitæ, quam alii vocant vinum adustum, ex fæcibus vini vel cervisiæ fit, materia abjecta & vili; vinum tamen adeo præstans, ut omnia naturalia vina huic artificioso meritò cedant, omnium suffragio. *Quantum ars valeat in aqua vitæ conficienda.*

Atque ut etiam vel ex trivio exemplum proferam, os ex armo ovillo satis crassum, vel aciei cultri, vel manui arte impositum, unico ictu rumpitur; ut & durissimus lapis, quæ si in mensa, vel alibi sine arte ponas, non centum æqualibus ictibus frangantur. *Os satis crassum arte frangitur.*

Quis adamantē nulla vi, sed hircino tantùm sanguine frangi comminuiq; nisi expertus, credat? Quis peritus legendi, existimet se literas colligere, nec aliter legendi artem constare, cum tanta id jam fiat celeritate, ut ipsi non advertamus: tam citò nunc multarum literarum vocem, primo aspectu legentes, atque unam literam aut syllabam primum incipiens? Innumera hujusmodi referre non esset difficile, ut de funambulis, aliisque corporis humani exercitationibus taceam; quæ ex auctoribus ea tractantibus legenda relinquo: cum quibus *Adamas nulla vi, sed hircino frangitur sanguine.* *Quam celeritur connectantur literæ inter legendum.* *Funambuli.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769155766/phys_0087
DFG

si effectus artis memoriæ admirabiles ac stupendi conferantur, nemini, rationi locũ danti, tantæ admirationi erunt; ut siniſtra de iis vel superstitionis vel magiæ incidere debeat suspicio. Quod si tamen aliquis ita præfractus in sententia sit, illi lubens ac volens eximam hanc opinionem; exhibitis judicũ eccleſiaſticorum ac civilium, aliorumque pręstantiſsimorum virorum literis teſtimonialibus, chirographis ac ſigillis munitis: ac simulante 4. 5. aut ſex horas, huic arti impensas, experientia declarabit, hac eadẽ arte, facilitate mira fieri ea, quæ aliis ignorantibus stupenda & incredibilia videntur: atq; ipſa teſtis erit, nihil eorum ἀδυνάτον noſtræ quoque ætatis hominibus esse, (duo aut tria tantùm excipio) quæ à Græcis; Romanis, & Chriſtianis facta, supra posita sunt; si modo æquale desiderium & exercitium, quod illi, adferre non gravabuntur: quo singuli hanc artem ab auctore sibi communicatã habentes, conſcientiæ judicio teſte, fateri cogentur. Reſtat ut utriq;, & qui credunt, & qui aliter sentiunt, ad experientiã certiſsimam rerum magiſtram, tanquam asylum veritatis confugiant; & quod ratio ipſis non potuit persuadere, videant, intelligant, & operentur.

De arte memoriæ non malè ſuſpicandum.

Teſtimonia eorum qui artem perceperunt.

Impoſsibile.

ARS

ARS MEMORIÆ.
LIBER SECVNDVS.

In quo
Ex ipso Aristotele, M. T. Cicerone, F. Quintiliano, D. Thoma Aquinate, Philosophorum & Oratorum principibus, ac hujus etiam artis fontibus, aliisq; compendiosè absoluteq;, ipsa PRAXIS collecta continetur.

CAPVT PRIMVM.

DE FVNDAMENTIS ARTIS Memoriæ, Locis, Imaginibus, Ordine locorum & imaginum, aliisq; praxis præludiis.

QVicunque artem aliquam cupit addiscere, is amorem & desiderium adferre debet. Nam sine studio & ardore quodam amoris, ut inquit Cicero, in vita nihil quidquã egregium ullus unquam est assecutus. Deinde non oportet offendi humilitate fundamentorum alicujus artis: quemadmodum dicunt Theologi, in sacris literis neminem debere offendi humilitate

Amor docet omnia.

Offensio multa intentata rẽ linquit.

Omnium ferè fundamenta humilia.

ftyli. Si enim alias artes, disciplinas, ac res omnes consideremus: videbimus æquè, ut hujus, humilia esse fundamenta. Theologia enim, Iurisprudentia, Medicina, Artes liberales septem, Historiæ omnes, anne 23. literis, quæ sunt figuræ certo modo ductæ, seu imagines tanquam fundamentis innitun-

Artium & disciplinarum.

Musicæ.

tur? Musica pro fundamento habet tres claves, quæ notari solent, & sex notulas, quas ignarus rideat: & tamen ars tàm excellens iis innititur, ut hominem etiamsi per totam se in ea vitam occupet: tamen ad summum apicem ejus nondum perduxerit.

Arithmeticæ.

Idem judicium est de 10. Arithmeticæ notis, quæ vario modo connexæ, non solùm quemlibet, usque in infinitum ferè, numerum suppeditant: verùm Arithmeticus etiã illarum auxilio, & subductione, difficilimas solvit quæstiones: captum ignorantium penitus superantes. Quid dicam de naturali-

Rerum naturalium.

bus? Ex glande, semine pyri, tam altas tamque spatiosas nasci arbores? Ex grano sinapis arborem in qua nidificent aves? Præterea ex terra eruuntur lapides, idonei calci conficiendæ, item structuræ: ex ipsa gleba etiam lateres coquuntur: arbores diversæ ex eadem nascuntur: quæ omnia rudia & inepta, humilia & abjecta apparent: Eadem

tamen

tamen arte accedente, domos, templa castra, urbes, provincias, totum deniqúe terrarum orbem constituunt. Si igitur omnium rerum humilia sunt fundamenta: mirari neminem decet, etiam hujus artis talia esse. Alioqui si ex hac lectione, aliquis de utilitate ac fructibus artis velit judicare: animum facilè abjiceret: desperans tam admirabiles effectus talibus his principiis inniti.

Sunt autem fundamenta hujus artis loci, imagines, ordo locorum & imaginum, & praxis sive ipsum exercitium. *Fundamenta artis memoriæ.*

Locus est imaginum sedes seu receptaculum, hoc est, spatium in quo imago potest collocari. Accipimus autem pro locis domos aliquot, in quarum unaquáque cubicula ordine, & in his parietes, ac certum in iis numerum locorum observamus, hoc modo. *Locus.*

Intrantes domum dorsum ostio opponimus: Paries à sinistris primus est, quem alii ordine sequuntur, terram aut mensam pro quinto sumimus pariete, quádiu in tradenda versamur theoria; & non aliâs. In primo parietis angulo juxta terram locus capitur primus: ac deinceps alii sequuntur: ut ad oculum demonstratum est. Eademque forma servatur in sequentibus omnibus parietibus. De conditionibus locorum nihil est *Ordo loci.*

hac vice dicendum: cum tales demonſtrati ſint, in quibus eæ ferè, præſertim jam in principio neceſſariæ obſerventur, utpote quod debeat quis multos habere diſtantes ordine, ac diligenter commeditatos: de quibus ſtatuto tempore latiùs erit dicendum.

Imago. Imago eſt forma ſeu nota ejus rei quam meminiſſe cupimus: Dialectici ſpeciem appellant. Rerum autem quæ ſub aſpectum cadunt faciles ſunt imagines: quia nulla res ſine imagine in intellectum recipitur. Rerum quæ aliis ſenſibus exterioribus aut nullo percipiuntur, quamvis non ita in promptu ſint: tamen induſtria humana modum invenit, quo illæ etiam ex tempore repræſententur: ad quas juvamur multùm hiſtoriis & fabulis, aliiſque libellis per imagines materiales expreſsis: quales ſunt Catechiſmi quidam, item Livii compendium, Virgilius, Ovidii Metamorphoſis, & bellorum noſtri temporis.

Diviſio Imaginis. 1. Imago duplex eſt: Propria quando ponitur pro ipſa re, cujus eſt imago, ut Chriſti pro Chriſto: Impropria cum ponitur, ut repræſentet virum: Salomonis ut regem, S. Michaëlis ut angelũ, pomi ut arborem, &c.

2. Secunda diviſio: alia perfecta: ac firma, ut rerum excellentium & rararum: alia imperfecta

perfecta seu imbecillis, ut rerum quotidianarũ, ortus solis & occasus, ecclipsis Lunæ: at Solis fortiùs excitabit, quia rariùs accidit.

Ordo imaginum.

De ordine non opus est plura nunc dicere; quia ita se miscet ut nihil progredi sine eo possimus. Iam antea enim dictum est domos, cubicula, parietes, & in iis locos ordine capienda. Hoc tantùm addendum, ipsas etiam imagines ordine debere poni. Quemadmodum enim si transponãtur literæ aliud repræsentant vocabulum; ita etiam imagines, exemplo sit, Alabandensis, &c

Praxis.

Neque etiam nunc de praxi aliud dicendum, sed aliâs præsertim in ultima lectione: cum ostendemus quomodo exercere artem, & studiis nostris vel actionibus applicare debeamus. Nunc interim manum operi admoventes attingemus praxeos aliquam partem, incipientes à simplicioribus ac minoribus vocabulis, quæ videlicet quatuor modis memoriæ cõmendantur: quorũ priore utemur, tanquam perfectiore: reliquos tamen tres non prætermittemus. Altero igitur modo fit per scripturam cum illas dictiones quę nobis dantur, in singulis locis aureis literis magnis, & insigni ferè loco constituimus: ita animum applicantes quasi non imaginariè, sed revera materialiter essent descriptæ.

Vocabula 4. modus memoriæ commendari. 1. 2.

3. Tertio fit per imaginem, hoc est, cum imaginem vocis dictatæ collocamus. 4. Quarto cum utrunque & scripturam & imaginem, qui modus paulò vehementior est, quàm secundus aut tertius: nullo tamen trium utimur, quia imbecilliores sunt, quàm ut memoriam efficaciter excitare queant: quanquam exercitatio quotidiana opinione longè majorem etiam in aliquo dictorum, promptitudinem adferat.

Prima ratio memorandi vocabula.

Primus autem quo utimur, est talis. Vocabula memoriæ commendâtur & retinentur imaginibus eorum in locis positis, attributa aliqua insigni actione, quę ex veteri aut novo testamento, ex historiis sacris aut profanis, ex fabulis poëtarum, aut ex vita communi sumitur. Si verò nihil ex tempore occurrit, fingemus quamlibet actionem quæ affectu aliquo vehementi statim excitet memoriam: quæ omnia exemplis fient clariora.

Exemplum præfigurationis.

In primo loco, primi parietis primi, cubiculi, ponatur petra, ac astet Christus qui tanquam faber murarius ædificat, ita vt paulatim exsurgere videatur Ecclesia: eaq; actio sic ad vivum debet in eo loco concipi, quasi revera ibi esset: sicuti cùm in actione comœdiarum alius regem, alii alias repræsentant personas, non quod revera ita res se habeat,

repræsentatur tamen quasi vera. Sed quomodo (dicat aliquis) jubes me videre in eo loco, quod non est? ac ridiculum alicui, indocto præsertim videri posset, hanc artem imaginibus uti incorporeis: sicuti mens incorporea objectum requirit in quod agat incorporeum. Nam oculi corporea tantùm vident, & non corporis expertia: mens verò incorporea. Est namq; hæc ars nobilior ac compendiosior ratio scribendi & legendi literas ex locis per imagines, quâ scribendi & legêdi literas in charta scriptas vel impressas. *Occupatio.*

Neque mirum videri debet incorporeas imagines mente videre. Fit hoc ipsum quotidiè ab omnibus. Si quis enim velit ad memoriam revocare, quod ante aliquot annos in lectionibus audivit, vel in concionibus, certè oculis corporeis eorum nihil videt: item quæ in aliis terrarũ locis vidimus, nunc hoc concluſi cubiculo cernere non fas est, sed tantùm quæ jam hìc oculis objecta: mente autem omnia possumus quid quoq; loco & tempore acciderit. Sic jam domo absens, eam ejusque singulas partes mente transeo: Video etiam personas actionesq; earum, sicuti antea oculis corporeis; nunc mensæ assidere tali loco & ordine, nunc illam nere, hanc suere, illum in horto fodere, &c. Ita *Mens oculus incorporeus incorporea cernit.*

etiam mortui imagine nobis occurrunt, quasi viverent, teste Ovidio:

Ante meos oculos, tanquam præsentis imago
Hæret: & extinctum vivere fingit amor.

Objectio. Sed quomodo jubes me ibi petram repetere, cum & imago Christi, & ecclesiæ sit in eodem loco? Ipsa mentis electio sic præsupponentis, hoc dubium facilè tollit: ut licet plures sint in uno loco imagines, inattributa actione si mens elegit, ut per talem actionem, quæ variis imaginibus exprimitur, excitetur memoria, ut legam petra, nunquam aberrabimus: præcipuè post aliquam exercitationem. Neque opus est semper totam actionem videre; antequam occurrat vocabulum: sed ad unam aliquam imaginis actionem statim se offert vox repetenda: ut in exemplo, si Christus vel ecclesia, videatur, vel petra, sufficit ad excitandam memoriam.

Cautela pro discentibus. Observandum hîc etiam, ne jam aliquot vocabulis positis, dum occupamur, in sequentibus soliciti simus, ne excidant priora. Metus enim ille impedit: & dum in singulis occupamur, ita id facere oportet, ut dum ad hunc, illum tertium, &c. locum mente redibimus, ex actione legamus: alioqui si quis putaret ex repetitione, vel applicatione

catione mentis ita facere, ut repetat, etiamsi nihil ex actione videret, is falleretur. Sit igitur in præsenti tempore de præsenti voce, aut sententia, vel re, cura: atque ita progrediendum donec jam vocabula 25. aut sententiæ 12. vel res quatuor, vel quinque sint positæ: ac sit impletus paries, ut tunc fiat repetitio. In secundo loco castrum, hîc ex vita communi seu pictura pono elephantē, & in dorso castrum, quod à militibus arcubus & jaculis defenditur, contra alios ex terra similibus instrumentis oppugnantes.

Iam iis experientiâ, primâ horâ, ostensis, quæ nemo mortalium sine arte præstare potest, etiam summis propositis præmiis: doceamus hanc artem ita naturæ convenientem, ut exerceatur ab omnibus passim hominibus, quamvis ipsi ignorent. Sicuti enim omnium artium & disciplinarum initia à DEO indita sunt, quibus conjungentes exercitium præclari evadunt: Ita hujus etiam: quod patebit, si quis velit vitam suam ad memoriam revocare. Prior enim cogitatio est de loco in quo natus est, regione, urbe, pago, domo. Secundò imagines patris, matris, fratrum, sororum aliorumque occurrunt, si vidimus, ipsæmet veræ: sin minùs, sicut ex pictura, vel descriptione

Semina artium à Deo implantata, exercitatione plus crescunt.

verbali eas impreſsimus: tribus quatuórve annis luſitavi cum parentibus, & æqualibus; deinde ſcholam adii tali loco ſitam, is rector, illi præceptores: poſthæc Lovanium profectus ad Collegium Porcium, hîc rurſus Regentis, Profeſſorum & commilitonum imagines ſeſe offerunt: Et ſic de cæteris, percurrendo totam vitam, ad locos imaginum perſonarum rerumq; confugimus. Nec alia eſt via recordandi: licet artis expertes id non animadvertant: ſicuti nec ruſticus ſeſe argumentari ſcit: neq; alius ſe ad notas & menſuram canere; niſi artem didicerit: quamvis ex alio cantilenam didicerit, canente exarte, cujus ille ignarus eſt. Idemque judicium eſt de aliis.

Facilima recordandi via per imagines.

Quod verò arte & exercitatione, ex principiis à Deo cuique inditis, præclari quid & admiratione dignum eliciatur; manifeſtum eſt in Muſicis, Arithmeticis, arte ſaltandi, &c. Vt etiam in mechanicis. Nam ſi arte & uſu perfecerint initia ſibi inſita, ea reipſa præſtant, ad quæ alius ſine iis non auſit aſpirare, etiamſi totum mundum, propoſitum haberet præmium. Quæ cunctis evidentia ſunt & nullius captum aut intellectum excedunt: videmus enim quotidianâ experientiâ. Hanc itaque primam lectionem ita finimus,

finimus, cum admonitione, ut jam aliquot horis intermissio fiat exercitii: deinde repetitio recto, retrogrado & intercalari ordine: ut hoc modo promptitudo aliqua comparetur: & hodiè cubiculum unum ad formam præscriptam singulis erit meditandum, ut proxima lectione sit paratum, ad alia excipienda.

CAPVT II.

De Sententiis memoriæ tradendis.

Secunda ratio memorandi sententias.

SEntentiæ memoriæ cõmendantur principalium vocabulorum imaginibus, in locis positis, minùs principalibus ita applicandis memoriæ naturali, ut illa adjuta præcipuarum imaginum etiam minùs principalia ordine repetat.

Quæ in sententiis principalia?

Sunt autem in omni sententia, principalia, omnia nomina substantiva & verba, exceptis iis, quæ per eclipsin in oratione subaudiri possunt: adjectiva si pro substantivis ponantur, aut significationẽ substantivorũ impleant vel augeant: ut dum dicitur magna qui sectatur, pro res magnas: item magnæ urbes, hîc adjectivum necessariò exprimendum; alioqui adjectiva pro minùs principalibus habentur. Quemadmodum etiam pronomina, adverbia, conjunctiones,

Quæ minus principalia?

præpo-

præpositiones & interjectiones. Subinde tamen fieri potest, ut adverbia exprimi debeant, ut, Satiùs est unum aliquid insigniter facere, quàm plura mediocriter, nisi hic imagine utrumque exprimatur, non offeret se sententia.

Quatuor admonicula circa sententias memorandas.

Vt autem feliciùs hæc succedat in sententiis exercitatio, valdè iuvabit: Primò si ad primariam unamcujusque sententiæ imaginem diligenter attendamus: Deinde ad unum vocabulum. altero enim horum animadverso, facilè reliqua occurrent. Sicuti enim oculis si una, duæ, aut tres literæ videantur, aut in sententia unum aut duo vocabula, reliqua sponte se offerunt: ita etiam hîc fit. Tertiò adhibenda cura ne syntaxin pro syntaxi substituamus. nam in iis facilis est lapsus. Quartò ut eundem ordinem quo singula dicta sunt, retineamus: ne videlicet dictio una alteri præponatur aut postponatur: quæ omnia applicatio mentis, & exercitatio ita facilia reddent, ut quod jam initio tardiùs, & adhibitâ inculcatione ac repetitione fit, postea tanta celeritate, atque aliquis loquitur, sive in suggestu, sive alibi, assequamur. His ita clarè sententiis, præmissis, existimo non statim & satis omnes, repetituros tamẽ intelligere, nisi rem exem-

plis

plis illustremus: adeò verum est, hanc artem ex libris vel scriptis sine viva voce & demonstratione non percipi: ut pleræque aliæ artes liberales aut graviores disciplinæ. In primo loco ponitur navis, in ea princeps, juxta quem consiliarius, in cujus toga multæ aureæ literæ, ut in regali toga regum Franciæ pingi solent aurea lilia: in sua nullam prorsus habet: deindè in loco navis, ubi remex sedere deberet, nemo est, & remi etiam non apparent: fertur quoque tardo & obliquo cursu, ex his prima pars: Et volucrem deplumatam ciconiam, gruem vel aliam suspendo, ex clavo malo navis infixo: & hinc fit reliqua sententiæ pars, &c.

Δύσκολα τὰ καλὰ.

Exemplum præfigurationis.

Princeps sine literis quasi navis est sine remige, & volucris sine pennis.

Observandum hîc & semper studiosè, ut quoad fieri potest, accuratè & ad sensum ac ad vocabula accommodatè exprimantur omnia: si verò non ita res sinit, ut ad sensum, nihil impedit, quin aliter fiat, modò tales sint imagines, quæ memoriam excitent, & menti legenti se offerant. Quemadmodum in vocabulis & sententiis satis declaratum esse arbitror: ut is cui res cordi est, facilè videat, quomodo eam aggredi debeat.

Ad hunc quoque modum textus continuus memoriæ imprimitur, ac retinetur. Dividitur enim per partes minores 2. 3. 4. 5. regularum:

Quomodo in textu continuo operandum.

regularum: & tum unaquæq; per imagines expressa, in loco ponitur: quod feliciùs in textu continuo succedere debere videtur, quàm in sententiis, in quibus singulæ diversam habent significationem: in illo verò continuatio ferè est ejusdem rei seu materiæ. In titulo tamen de concione & oratione, & de ratione excolendę memoriæ, ex præstantissimis Rhetorum tam Græcorum, quàm Romanorum scriptoribus, plura huc spectantia habentur.

CAPVT III.

De rebus memoriæ infigendis.

Tertia ratio. Res memoriæ commendandi. Quatuor hìc requiruntur. 1.

REs memoriæ cõmendántur dum summatim ipsorum negotiorum imagines suis locis aptè collocantur. In qua descriptione quatuor innuuntur. Primò ut quicquid legimus, videmus, vel audimus longè lateq; diffusum in compendium contrahamus. Deinde ut illud aptè dividamus ne quod in uno loco poni debebat, separetur: aut quod sejungendum, conjungatur. In quibus duobus si quis ita versatus sit, ut feliciter ea præstare possit: is aptior paratiorq; ad hanc rem fuerit: sin minùs exercitio paulatim ea sunt comparanda. Tertiò ut imagines (quæ res ipsas comitantur semper si-

2.

3.

cuti

cuti in sole ambulantibus umbra corpus) debito modo collocentur. Quartò ut quisque paries primò, deinde totum cubiculum repetatur: atque hac exercitatione quotidiana promptitudo comparetur. 4.

Quemadmodum igitur Consiliarii, Senatores aut alii, quibus de processibus multis chartæ foliis, centum aut pluribus, utrinque instructis est referendum: primùm legunt, & compendiosè ea notant, in quibus cardo rei seu ipsa controversia, consistit: & describunt una 2. 3. 4. paginis aut ad summum integro folio, & deindè ex epitome hac ad Senatum referunt, ut fiat judicatio: ita nobis quoque in hac arte erit faciendum. Neque necessum est omnia tam exactè imaginibus efferre. Nam unica sæpè imagine 2. 3. 4. aut paucis saltem, longissimæ historiæ possumus reminisci: quod maximam facilitatem & promptitudinem adfert. Quemadmodum namq; si currenti fonti epistomium opponas aqua sistitur, eoque remoto, fluit quandiu suppetit ipse fons continuò: vel sicuti ignis cineribus tectus latet, admoto leviter sulphurato, exuscitatur: Sic memoria quæ debitè ipsi tradita sunt, monita vel minimâ imagine aut signo, reddit quicquid fideliter traditũ fuit: ut ipsi sæpè admiremur succesſum,

Referendarii & Consiliarii imitandi.

Illustratio à 2. Similibus aqua & igni.

successum, opinione & exspectatione feliciorem. Hanc autem regulam primùm exemplo continuo in 32. partes diviso declarare solemus: ut quæ supra dicta sunt, ita se habere videamus. Accipimus autem historiam Ioseph notissimam ut de re non laborantes, tantò meliùs advertamus modum redigendi in epitomen, dividendi, in locos collocandi: ac consideremus verissimum esse quod diximus, imagines rebus semper esse conjunctas.

Ioseph puer pascens gregem, accusat fratres.

Videt duo somnia: quæ fratribus & patri referens, increpatur.

Fratres consultant de eo occidendo.

Mittitur in cisternam.

Iudæ consilio venditur Ismaelitis.

Vestis Ioseph tincta in sanguine hædi, fertur ad patrem.

Iacob luget filium Ioseph.

Ioseph revenditur Phutiphari Pharaonis militum magistro.

Solicitatur ad concubitū ab uxore Phutiphari.

Accusatus conjicitur in carcerem.

Somnium Pincernæ & Pistoris captivorum, Ioseph exponit.

Somnia

Somnia Pharaonis de 7. bobus & ſpicis, eductus é carcere, exponit.

Annulo regio, ſtolâ byſsinâ, & aurea torque decoratur à Pharaone.

Conſtituitur princeps in Ægypto.

Nuptias celebrat cum Aſeneth filia Phutipharis.

Naſcuntur ei Manaſſes & Ephraim.

Fratres venientes pro alimentis emendis, à Ioſeph agnoſcuntur.

Arguit illos & accuſat ut exploratores.

Præſentibus illis tollit Simeon fratrem & ligat eum.

Redeuntes fratres offerunt Ioſeph munera, proni in terram adorando.

Ioſeph conſpecto Benjamin lachrimatur.

Seorſim Ioſeph, ſeorſim fratres, ſeorſim Ægyptii accumbunt & pane veſcentur.

Ioſeph abſconſo & deprehenſo ſcypho in ſacco Benjamin, arguit fratres furti.

Veſtibus ſciſsis recidunt in genua adorantes eum.

Iudas excuſans, ſe facit obſidem pro Benjamin.

Ioſeph ſe fratribus agnoſcendum præbet.

Amplexatur Benjamin fratrem minimũ.

Exoſculatur reliquos omnes.

Cum cibariis & plauſtris mittit eos ad patrem.

Adventus Iacob in Ægyptum ad Ioseph.
Hic occurrit patri & amplexatur eum.
Ioseph adducit parentem & fratres ad Pharaonem.

Ad hunc modum exercitii gratiâ consultum erit se in historia alia exercitare: quarũ latissimè in Bibliis & aliis libris habentur: nunc interim in sequentibus.

1. Nemroth. Gen. 10. & 11.
2. Daniel lib: Dan. 1.
3. Heliodorus. 2. Mach. 3.
4. Machabæi. 2. Mach. 7.
5. Ananias & Saphyra. Act. 5.
6. Liberatio Sancti Petri. Act. 2.
7. Conversio S. Pauli. Act. 9.
8. Tentatio Christi. Matth. 4.
9. S. Gregor: magnus inter 12. paupere Christum excipit mensâ.
10. Sanct. Nicolaus civibus de frumento providit in caritate annonæ.
11. Idem tribus puellis de dote.
12. S. Martinus parte palli vestit nudum.
13. Factum Mutii Scævolæ.
14. Horatii Coclidis.
15. Marci Curtii.
16. Marci Attilii Reguli.
17. Fabula Persei & Andromadæ. Met: Ovid.

18. Niobes,

18. Niobes, ibid.
19. Pirami & Thisbes, ibid.
20. Pueri è ludo literario res parvas deferentis.
21. Partus prodigiosus Maltildis Comitissæ Hollandiæ:
22. Nobilis Hollandus in caritate annonæ frumentum vili precio vendit.
23. Halto 2. Bonosus Episcopus Moguntinus.
24. Mulier Coloniæ sepulta, resurgit anno M. CCC. LXVII.
25. Puella Spiræ ruina parietis obruta, illæsa educitur sequenti die.
26. Antiochus Soter.
27. Vespasianus Imperator.
28. Vrraca regina Arragoniæ.
29. Alexander magnus Bessum, &c.
30. Erchembaldus Barbuyensis.
31. Mulier in fœtido lacu balneans.
32. Rex honorans 2. monachos.
33. Anna Italica.
34. Ancilla triduo suspensa.
35. Gerardus à Marca.
36. Adolescens cum amasia in horto confabulatur.
37. Tres latrones.

CAPVT IV.

De Vocabulis non intellectis. Rebus non figuratis ab oculo aut alio sensu. Connexo. Voluntario. Collocatione personarum, & Numeris arithmeticis.

Vocabulorũ non intellectorũ memoriæ imprimendorum modi 4. 1. Divisio integri.

VOcabula non intellecta quatuor etiam modis memoriæ imprimuntur.

Primò per divisionem. Si enim integrum non offerat imaginem (non intellectorum siquidem nulla occurrit) dividemus in duas, tres, aut plures partes: idque variè tentabimus: donec ita divisum sit, ut imaginem ex una, duabus aut pluribus partibus eliciamus, quod post modicam, eamque jucundam exercitationem, ita succedit, ut inexperto difficile sit creditu: præsertim si divisis partibus, cùm alioquin non adest imago, litera aut syllaba in principio, medio, fine addita, subtracta, transposita vel variata, succurramus, ut pro pyrgo ponam virgo: cum electione mentis, priorem literam esse mutatam, ideoque resumendam. Exemplo sit Alabandensis cognomen Philosophi apud Cic: integrum nullam dat imaginem: divisum plures: ala, pars avium est, band lin-

guâ ger-

guâ germanicâ, vinculũ aut ligamen ſonat; enſis gladium ſignificat. His in loco poſitis ſemper ex imaginibus tanquam ex literis legemus vocabulum. Obſervandum tamen, ut ſicuti literæ ordine, ſic imagines etiam componantur: alioqui offertur aliud bandalaenſis, enſis alaband, &c. Colonienſis, duo coloni enſem ſibi conantur eripere, quod licet aliâs expeditiùs per hominem ſcutum in pectore tribus coronis ornatum repræſentaretur: Vtor tamen exemplis ad demonſtrationem accommodatis. Veſpaſianus, hæc moleſtatur ab illa, & luctatur cum illa depellenda, in quo (ſi) nullam quidem habet, neq; opus eſt: ſufficit namque unam vel hanc & ſecundam, vel hanc & penultimam, &c. videri in imagine.

Iuxta ordinem vocabuli & literarum imagines concipiendæ.

Secundò per imagines Alphabeti, & velut 23. 24. aut 26. literis omnia exprimuntur ſic nullum dictabitur vocabulũ pronunciabile, quod hanc regulam poſsit effugere. Inprimis fieri queat, ut ex tempore tardior aliquis & non exercitatus hæreret: nec eam accommodaret. E. G. Andreas, Antonius, Anshelmus, Bartholomæus, Bernardus, Bonaven: Corn: Chriſt: Conradus, Dominicus, Dionyſius, Dorothea, Eraſmus, Eduardus, Emanuel, Franciſcus, Florentius,

2. Modus. Imagines alphabeticæ.

tius, Felix, Georg: Greg: Gerardus, Hubertus, Hieronymus, Henricus, Ioannes, Iodocus, Iacobus, Karolus, Kilianus, Katharina, Ludovicus, Laurentius, Lambertus, Marcus, Martinus, Mauritius, Nicolaus, Narcissus, Nicasius, Otto, Oswaldus, Origenes, Petrus, Paulus, Policarpus, Quintinus, Quirinus, Quintilius, Richardus, Rodolphus, Rumoldus, Simon, Salomon, Sebastianus, Thomas, Theodorus, Theophilus, Vrbanus, Vdo, Vrsus, Valerius, Valentinus, Virgilius, VVillebrodus, VVernerus, VVinãdus, Xistus, Xenophon, Xerxes, Yvo, Yda, Ysembrandus, Zacharias, Zachæus, Zepherinus. Quales possunt sumi Sanctorũ unum, Sanctarũ alterum: notorũ virorum, fœminarum. Avium: Aquila, Bubo, Corvus &c. Animaliũ: Asinus, Cos, Cervus &c. Piscium: Anguilla, Balena, Carpio, & licet singulis uti ad placitum vel mistis. Mihi consultũ videtur unico contentum esse: & quoties occurrit in vocabulo una litera: ut, in taratantara, sicuti eadem invariata repetitur, sic fiat in imagine. Alphabeti Imagines ita in promptu habere debemus, ut nunc literarum: ut quocunq; dictato statim in eo loco ad quem perventum est illæ ex ordine componantur mensæ assidentes, vel humi, vel stantes re-

ctâ, qua-

ctâ, quadratâ, circulari figurâ: modò certum sit à qua incipienda lectio, & tum pervolandæ oculo mentis: quemadmodum literæ scriptæ corporeis: quod non exercitati mirum, aut fieri non posse arbitrentur: Si quis tamen in hac arte scribendi & legendi vel decimam operæ partem collocet, quam in communi oculis exterioribus, non vulgarem promptitudinem consequetur.

Verùm objecerit quispiam, quomodo longa vocabula, ut inhonorificabilitudinationibusque quod 36. literis constat legat? *Objectio.*

Respondeo tam longa vocabula pauca esse in ulla lingua, & ferè de industria composita, si quæ sint: deinde non esse necessum omnium literarum imagines ponere: sufficerit octo aut unum circulum posuisse: & reliquas licet multas, naturali memoria (ut communi legendi modo fit) visis quinque aut sex literis primis, supplebit facilimè: si ante auditum vel lectum sit, in eo libri aut chartæ loco vocabulum. Postremo si contingeret aliquem intrare convivium ubi 50. aut 100. essent personæ, de facie notissimæ, an cuiquam difficile, solum ordinem sedentium observare? Minimè, quamvis id non absolutè requiratur: sed ut acie *Solutio.*

mentis legat, ſicuti exteriori non 100. in pariete vel libro ſcriptas, ſed millia celerrimè colligimus, ac legimus: quod longo uſu aſſecuti in hoc modo, eodem quo in illo fiet. Sicuti etiam viſionem mentalem de qua in principio latè exercitatio præſtat.

3. Modus. Imagines ſyllabarum. Compendioſior tamen tertius eſt modus, per imagines ſyllabarum: ſed has invenire arduum omninò, imò vix datur. Nam plurimæ illarum rarum aut nullum habent uſum, iis prætermiſsis, uſitatarum tantùm comparabimus, iisq; utemur. Pro ſyllabarum inventione notandum primò, ut ſingulæ vocales ſingulis conſonantibus præponantur; deinde, contra ſingulæ conſonantes vocalibus ſingulis: tertiò vocalis duabus conſonantibus poſtponatur: quartò voc: 2. conſo: poſtpoſita aliam ſubſequentem habet conſonantem: quintò duæ aut tres conſonantes præcedunt, & ſequuntur: Duæ poſteriores regulæ rariſsimas, imò monſtroſas pariunt ſyllabas, quanquam aliquæ ſint ſatis uſitatæ Exempla ſingulorum ſunt ab, ac, ad, af, &c. eb, ec, ed, ef, &c. ba, be, bi, &c. ſic, ca, ce, &c. bra, bre, bri, dra, dre, fra, fre, gra, gre, kra, kre, pra, pre, tra, tre, ura, ure, &c. In his tantum lit: initialibus praxis ſubjungi ſolet, blap, clap, clam, plebs,

Varia ſyllabarum collocatio obſervanda. 1. 2. 3. 4. 5.

Exempla.

plebs, plomp, ſtirps, ſtreid, ſtreits in genitivo: Ab. Abbas de facie notus. Ac accipiter, avis: Ad, advocatus meus: Af, affinis meus, &c. Ba, baculus: Be, beta: Bi, bilanx: Bo, botrus: Bu, butyrum: By, byl, ſecuris Brabantis eſt; Ca, caput: Ce, cedrus: Ci, cinis: Co, codex: Cu, cuculla: Cy, cypreſſus: Da dama: De, decipula: Di, digitus: Do, dolium: Du, dumus: Per, pertica: Fa, facies: Fe, felis: Fi, ficus: Fo, folium: Fu, fumus, &c. Sic in reliquis. Hic quidem brevior, quàm alter: ſed illic imaginum Alphabeti copia, quæ hîc difficilior. Scribendæ igitur omnes ſyllabæ uſitatæ, opponenda vocabula ſubſtantiva ſignificantia res, egregiam imaginem habentes, easque ad unguem ediſcere, & exercitationem adjungere debemus.

Quartus modus dictionibus trium aut quatuor literarum ſervit: Ponenda imago perſonæ in loco, & attribuenda ipſi actio circa rem, quæ initiò ſui, reliquas literas offert: ut ſi ANIMO ſit exprimendum, Antonius ponitur in loco volvens molam: atq; ita legemus vocabulũ A ex Ant. NI per ſyllab: ni, mo per vocabulum mola: ſi BRA Bartholomæus RApas agitat, ſi TRA Thomas ſit in loco, idemq; RAnas percutiat; & 4. Modus.

sic in similibus. Si Erasmus & Thom: sint, ET: si contra Tho: & Eras. TE, habebimus. Hæc regula in particulis nullam alioqui imaginem habentibus servire posset: de quibus latiùs suo loco, in citationibus nonnullis, quæ tribus aut quatuor fiunt literis, libri, capitis, auctoris, &c. Licet etiam, si prima regula voci dictatæ non possit subitò applicari 2. aut 3. vel omnes miscere: ut unam partem per unum, duo per aliam, & sic de cæteris exprimamus.

5. Modus. Optimus.

Quintus modus est meo judicio facilimus & optimus, ut per imagines literarum magnarum, ac latinarum talia vocabula scribantur, ac acie mentis legantur: qui vobis inexpertis forsan principio imbecillior videbitur, sed si quartam temporis partem huic exercitio tribuamus: experiemur successum opinione feliciorem.

Res sub oculos non incurrentes exprimuntur per causas efficientes.

Res nõ figuratæ ab oculo, ut sunt objecta quatuor sensuum: Olfactus bonus & malus odor: Gustus, salsum, insulsum; dulce, amarum; calidum etiã & frigidum: Tactus durũ molle; calidum etiam & frigidum: Auditus sonus, vox: exprimũtur per causas efficientes, pro effectu, ut cantantes pro voce, tuba vel campana pro sono, &c. Considerandum hîc primò, undè nascatur res & procedat: secundò

cundò subjectum seu materia in quo excessivè illæ reperiantur qualitates sensibiles: ut focus, vel ignis pro calido: glacies vel nix pro frigido: pomum vel flos pro odore: saxum pro duro: aqua vel plumæ pro molli: saccharum pro dulci: absynthium pro amaro, &c. 3. gestus sensuum patientium: sic capitis inclinatione arrectisque auribus ostenditur sonus, naribus retractis admoto pomo vel flore, Olfactus.

Res insensus non incurrentes percipiuntur bifariam. Per simile vel significatione, aliæque voce.

Res quarum imagines nullo sensu percipiuntur, duobus modis exprimuntur: primò per simile: secundò per dissimile. Per simile, significatione; sicuti Ægyptii pro literis & dictionibus pingebant animalia, plantas, herbas, petras, & similia: considerantes aliquam proprietatem inter rem signantem & signatam: superbum pavone, pigrum testudine, fortem leone, voracem lupo, prudentem serpente, &c. exprimentes. Per simile, voce integra, quando intellectus ad id solum intendit, quod vox sonat, & scriptum offert. Idque fit duobus modis: primò cum significat rem, dissimilem re, & similem voce integra: ut, anchora pro ferreo & uncato instrumento quo naves retinentur; Item anchora pro extremo perfugio atque asylo: Sic cupido pro libidine & Cupido pro arcitenente & alato illo Deo

Vel intellectu integrâq; voce.

amoris sumitur. Secundò voce non integra, sed secundum partem, additione, detractione, immutatione, figuris illis Orthograph. & Etymol:, inventionem imaginum adminiculantibus; ubitamen notandum, magni esse artificii & utilitatis, metaplasmum vel tropum non à re exorbitantem, sed eiasfinem constituere, ne scilicet longiùs petitus, plus memoriam confundat, quam excitet aut promoveat. Adjungitur autem (ut
1. rem exemplis dilucidemus) primò litera aut syllaba: vel in principio dictionis, per προθεσιν: ut, vis, clavis: (Priora enim exemplorum vocabula, cum mente tantùm metiantur, utpote ab oculis remotissima, ad certas imagines hac via reducenda sunt) quod hujus vi, ostia, fores, repagula reseramus arctissima: Vel in medio, per επένθεσιν: ut, acies cum significat acumen secabile, interpono jam syllab: nac, fit acinaces, qui gladius Persicus acie sua ad secandum optimè habilis est: Vel in fine, per παραγωγήν; ut, anima, animal; quod nullum animal animâ
2. careat. Secundò, superioribus contrario modo observatis, detrahitur litera vel syllaba, vel à principio dictionis, per Αφαίρεσιν: ut, Spes, pes; Pedibus enim utcunque constrictus & impeditus, spem liberationis semper

semper somniat: Vel à medio per, συγκοπὴν ut, religio, regio; cum nulla sit regio quam non aliquis religionis amor tangat; morbus, mors; ille enim hujus præsagiens nuncius; annus, anus; ut quæ plurimos habeat annos: Vel à fine, per Ἀποκοπὴν: ut sagax, saga; quod & hæc sagax sit in fascinando; noxa, nox; quia juxta illud: Nox & amor, vinumq; nihil moderabile suadent.

Tertiò immutatur & invertitur litera vel syllaba per Μετάθεσιν, eamque vel retrogradam; ut amor, Roma: vel metagrammaticam: ut pudicus, cupidus: vel simplicem inversionem; ut aura, arva; navus, vanus; alto, lato. 3.

Quârtò per Immutationem qualemcunque sive ἀντίστοιχον sive μεταβολὴν: ut mores, mares; in maribus namq; mores frequenter requiruntur: arca, orca; deter teter. 4.

Quintò παρονομασία Agnominatio instituitur: ut, Virago, Vorago; amantes, amentes: prætores, prædones: ora, hora: ara, hara; læto, luto. 5.

Sextò Συναίρεσις syllabica ad rem facit, ut quies pro qui es: variabilis pro varia bilis. 6.

Septimò contrario modo Διαιρέσει res denotari potest, de qua latè supra dictum. 7.

Per dissimile verò per oppositum quod nobis sæpè inducit in memoriam alterum; quo tamen non semper utendum, nisi 2. Per dissimile.

aliquando

aliquando in rebus certis, ut in Relativis servus pro domino, si hic non est notus, ille verò fuerit: discipulus pro magistro, filius pro patre: In contrariis ut si album pro nigro, corvus pro cygno, Æthiops pro albo &c. aut vice versa collocetur. In privantibus, cæcus pro vidente, mutus pro loquace, ægrotus pro sano, &c. Multaq; alia per Ironiam aut Antiphrasin prolata. Nollem autem uti hac regula nisi in relativis necessitate quadam urgente. Oportet tamen his etiam dare signum quo constet non pro se, sed pro opposito collocari.

Connexi Tractatio.

CONNEXI, Grammatica & facilis est tractatio, & appellatur quod etsi est dissimile, tamen aliquo modo conjunctum est rei explicatæ, ut tympanum, vexillum, hasta, bombarda, &c. pro bello, non quod illa hoc sint, sed ita conjuncta, ut sine iis non geratur. Et reducitur ad 6. capita. 1. Gestum, 2. Etymon. 3. Signum. 4. Insigna regionis, civitatis & familiæ. 5. Instrumenta. 6. Solitum dici. Signum resolvitur in duodecim partes, quarum 1. est Effictio. 2. Notatio. 3. Definitio & descriptio Poëtica. 4. Etymologia. 5. Onomatopœia. 6. Effectus rerum, ut si nomina dierum colligamus Dom: solis, feriam 2. lunæ, &c, imagine exprimamus,

Signi resolutio in 12. partes.

mus, vel auro, argento ferro, &c. vel resurrectione Christi, maledictione fici, Nuptiis in Cana Gal. 7. Insignia, & hæc sunt triplicia personarum, locorum, rerum. 8. Instrumenta. 9. Motus partium corporis. 10. Oppositum. 11. Accidens & proprium subjecto notatur. 12. Cognitio causæ.

VOLVNTARIVM appellant cum certis dictionibus utimur ad voluntatem & placitum nostrum pro aliis quæ nullam habent imaginem, ut sunt Adverbia, Conjunctiones, Præpositiones, Interjectiones: Eliguntur itaq; 300. 400. aut 500. Vocabula, imagines oculis exterioribus objectas habentia: quorũ unum quodq; pro alio ponitur, non habente significatũ figuratum: eaq; ordine scribenda sibi oppositа, & distinguenda: ex quo constet non pro se poni sed voluntaria esse: quod fit colere, ut si agnum velim alicujus esse voluntariũ, aureum ponam &c. quod factu est expeditum. Solent autẽ variis modis usurpari: quidam propria hominum nomina, alii appellativa usurpant, quæ nuda sunt: quia nullam habent rationem præter voluntatem cujusque. Verùm ego talia existimo capienda, quæ etiam causam habeant. E. g. Ego, ego-ceros, Tu, tuba &c. hoc est, ut talia sumantur,

Voluntarium quid?

Ejus Tractatio.

tur, quæ in principio eam particulam pro qua ponuntur offerat: in quibus dupliciter memoria juvatur. Vt autē feliciùs succedat exercitium, observanda sunt aliqua: 1. consíderandum in qua arte, professione, aut exercitio quis uti velit, voluntariis an Latino, an vulgari: & an in Grammatica, Logica, Theologicis Concionibus, &c. 2. ejus professionis sumantur usitatiora vocabula, non figurata: eaq; in tabellis ordine ex adverso scribantur. 3. frequenti exercitatione memoriæ infigantur, ut legentibus vel audientibus eorum aliquod, statim cognoscatur esse voluntarium. Nec est quod aliquis existimet, in principio hoc esse magni laboris, nam est res admodum utilis magniq; subsidii, quæ octo diebus ad praxin reducatur perpetuam: adferentem miram promptitudinem ac facilitatem memoriæ, & auferentem magnum studium formandi imagines rerum non figuratarum. Conducit autem iis potissimùm, qui audientes lectionem, concionem, aut aliud quid collocant.

Circa voluntaria 3. observanda. 1.

2.

3.

Numeri arithmetici variis modis efferuntur: 1. ipsis figuris formantur, sive latinis, sive vulgaribus, sed magna valdè forma & intensissimo colore insignibus; alioqui propter nimiam familiaritatem facilè fallerent.

Quomodo numeri efferendi?

rent. 2. instrumentis aut rebus similitudinem eorum referentibus, & hic propter novitatem efficax est, & reliquis præstat: unũ candelâ vel ulnâ: duo furcâ: serpente torto tria: quatuor tessarâ: quinq; manu: sex stellâ: septem securi: octo horologio arenario, perspicillo: novem cornu: decem circulo, tomice, annulo: ex quibus quilibet in infinitum habetur. In his copulandis dexteritate quadam opus est, ut elegantiores sint. Alii imaginibus sanctorum aut hominum excipiunt, quorum primæ literæ conveniunt cum figura. 1. joannes, per 1. latin minus: 2. reichardus, per 2. german: minus: 3. zacharias, per 3. germ: min: 4. quirinus, per q. latin: minus quod ejusdem ferè cum illo figuræ. 5. Hieronymus, & vel ex diviso charactere majori H: vel ex german: ℌ. à cujus fronte hoc signum S. cognoscitur. 6. Simon, & hoc vel è Græco σίμων, per σ. minus: vel per vetustum illud Latinis & germanis peculiare 8. ejusdem ferè simul notæ. 7. Ludovicus ex inverso L. fit 7. 8 Octavianus, idq; vel ex significatione priorum syllab: vel quod duo o. minoris scriptionis superducantur. 9. Constantinus ex abbreviatione Latinis solita 9stant, facilè colligi potest; verùm videtur incommodior ratio

conjungendi. Sunt qui aliis utantur, Phœnice, Parnasso, tribus Parcis, quatuor Evangelistis, quinq; libris Mosis, sex hydriis, septem planetis vel panibus, octo tonis, novem Musis, vel similibus: qualia quilibet infinita potest excogitare: quod liberum cuiq; est pro suo judicio.

Collocatio Personarum triplex.

Huic præterea lectioni collocationem Personarum adjungimus, quæ fit tribus modis: 1. per proprium, cum personam à nobis visam, ut si Henricum III. Francorum regem, Ducem Alexandrum Farnesium, Ernestum Archiducem ego velim exprimere, quos vidi. 2. Per imaginem cum vivam personam non vidimus, sed ex imagine novimus: sic Christi, Apostolorum, Prophetarum, Patriarcharum, omniumq; qui ante nos fuerunt sanctorum, vel hominum utriusq; sexus collocamus: ut si quis Eras: personam velit, sic ponat sicuti imaginem illam novit, &c. 3. Per simile cum neq; personam vivam vidimus, neq; imaginem, ut si faciamus nullam extare Clementis Papæ, Rodolphi Imp. constituam aliquem qui Clemens vocatur, de facie bene notum, & illum ornabo habitu Papali: aliquem qui Rodolphus, & induam habitu imperatorio: atq; ita ex faciebus notis nomina, ex vestitu dignitatem colligimus: idque in omnibus aliis ita erit faciendum.

1.

2.

3.

CAPVT V.

De Concione: Oratione: Collocatione argumentorum, & praxi.

In concione & oratione quomodo procedendū. Si ab aliis scripta oratio.

CVm nobis ipsis habenda erit concio vel oratio, præsupponitur facta esse sive à nobis, sive ab aliis, scripta, impressa, vel saltem mente concepta, & locus in cubiculis ita meditatos, ut de iis nullâ curâ distraha-mur: ac tùm una concio seu oratio semel attentè tardeq; erit legenda, ut totam materiâ in genere mente comprehendamus. Deindè in tres aut quatuor partes majores, videlicet thema, & primam partem rursus in duas, vel tres dividamus: & in medio primi parietis thema, in medio secundi pars prima, in medio tertii parietis altera pars, in medio quarti parietis tertia pars disponetur. Tertiò unamquamque majorum partium subdividemus in 4. 6. 8 aut plures minores, pro materiæ exigentia. Quartò imagines, cujusq; partis minoris in quatuor circumstantibus locis ponemus: qui si non sufficiant quatuor interponemus aliis, & erunt octo circumstantes: aut ex uno quoq; loco parietē efficiemus & viginti circūstantes habebimus in primo pariete: ac viginti

locos in primo cubiculo: qui abundè sufficient ad longissimam concionem aut orationem. Quintò repetendus quisq; paries, deindè omnes quatuor, ac semel tentandum an satis feliciter succedat lectio eximaginibus, & pronunciatio.

Si nobismet ipsis declamitanda oratio.

Si ipsi voluerimus habere, tum non adeò urgemur tempore: ideoq; licebit bis perlegere, & tardiùs progredi in operando; sed si viva voce habitam velimus excipere, eodem modo, ut dictum demonstratumq; est procedemus: Verùm ut tanta celeritate quanta quis loquitur, vel more suo vel darâ operâ assequamur, his quatuor fiet adminiculis.

Si excipienda ex ore aliorum.

Hujus conceptionis 4. adminicula. 1.

Primum est, si consideremus hanc excipiendi per imagines rationẽ tam esse compendiosam, ut quod mille aut pluribus dictionibus non potest efferre, quas ille ordine unam alteri debet subjungere pronunciando, nos hac arte paucis imaginibus efferamus: interdum quatuor, quinque, sex; nonnunquam unâ, aut duabus quæ ille tam multis; ac simul plures imagines affigimus: ut in vita Ioseph & triginta septem exemplis clarè patet. Quo solo observato citiùs excipere, quam aliquis, etiamsi maximè conetur, efferre valeat, possumus.

Secundum

Secundum est, in omni oratione vel concione multa dicuntur quæ antea scimus, præsertim si quis multas legerit & audierit: & tum antequam octo aut decem verba protulit, præcurrimus: arrectis tamen auribus astantes, ut etiam cognita nobis viva voce confirmemus. Si tum subjungitur aliquid quod scimus, eodem progredimur modo: si quod nescimus, tum ut dictum est paulò antè, operabimur. Nec opus est omnia exactè collocare, sed principales particulas, omissis minùs principalibus, quæ cum præcedendo vel sequendo cohæreant, facilè se offerunt: sicuti dictum est de vocabulis minùs principalibus. cap. 2 lib. 3 libri. 2.

Tertium est, Concionatores docti solent in fine repetere summatim quicquid in totâ dictum est: indocti vel qui inopes sunt materiæ, aut non benè studuerunt, idem in eadem, ter vel bis, post aliqua interjecta, repetunt: deinde aliis subjunctis, ad illud quod ante etiam dictum fuit, relabuntur. Nobis autem sufficit singula semel posuisse: nisi quid fortè omissum esset, vel propter defectum promptitudinis exercitii comparatæ, vel nimiam dicendi celeritatem: propterea ex præcedentis concionis summariâ repetitione id liceret supplere. Si autem ob causas mo- 3.

sas modò dictas concionatorem non possumus assequi, consultum est locum transilire unum, duos, tres, aut plures, ut fit in scribendo. Si enim pertinaciter velimus insistere priori alicui parti, forsan eam habebimus: sed ipso interim progrediente multò plura omittemus: Idem hìc eveniet ut taceam hoc ipso quod quidam vacant, maximè excitari memoriam, ut in repetendo postea facilè subveniat, quicquid ibi fuerat reponendum: dum cogitamus quartum locum vacuum relinqui & debebam hoc disponere, dum ad nonum hunc transilii quid ibi collocatum fuit? hoc vel illud, & ita in cæteris.

4. *Exercitium concionis.*

Quartum est ipsa exercitatio, ut videlicet deinceps incipiamus hæc ipsa præcepta usui applicare, initium facientes à concionibus simplicioribus ac brevioribus, quales scripsit Iodocus Clichthovæus: Rodolphus Ardentius & alii: non ab iis quæ tantum complectuntur materiæ quantum sufficiat tribus aut quatuor concionibus: & in illis ipsis simplicioribus omittẽdæ erunt omnes citationes sacræ scripturæ & patrum, donec tantùm profecerimus, ut nudam concionem facilè consequamur: deindè quatuor citationes addemus, & cum eadem facilitate nunc

te nunc concionem cum quatuor citationibus, atq; antea sine omni repetimus difficultate, tum alias quatuor adjungemus: postea 12. 16. 20. 24. tandem omnes: non progredientes ad majorem numerum, donec experientiâ compertum habeamus in minori retinendo satis promptos.

Exercitium orationis.

In orationibus quia illæ plures habent partes minores, paulò aliter se res habet: & quamvis liceat formam locorum & ordinem servare, quem primò diximus: tamen non inconveniens videtur, novem locis uti in primo pariete & ordinem mutare: ut incipiamus ab angulo superiore parietis rectâ lineâ procedentes: idq; ex suggestione Ciceronis, qui lib. acad. quæst. inquit, hanc artem germanam, id est, sororem esse literaturæ: quod si est, & literarum ordo apud nos ita progrediatur, ut dictum est: & in figura ad oculum ostensa apparet: non malè hunc ordinè in collocatione orationis sequemur.

Series collocationis partium orationis.

Atq; exordium in primo loco, propositionem & partitionem in secundo; Ea quæ nativitatem antecesserunt, vel primam confirmationé ab honesto, in tertio, quarto, &c. quousq; se extendet: Deinde in sequenti à nativitate, vel ab utili, & aliquot sequétibus, tum à pueritia: vel 3. confirmatio à jucundo,

deindè ab adolescentia; vel 4. à posibili ac facili, &c. virili ætate, à morte, ab aliis quæ mortem sunt consecuta: postremò conclusio, prout illa in Rhetoricis traduntur: idemq; judicium in demonstratione factorum. Exempla sint vita S. Ioannis Baptistæ, Apostolorum; Vituperium Iudæ, Catilinæ, Coclitis vel similia, quæ & talia plura in Rhet: & Aphthonii Progym: Eras: de conscrib: Epist: aliisq; inveniuntur.

Quomodo operandum si loci confirmationis se longiùs extendant.

In orationibus disponendis si loci confirmationis longiùs se extendant, ut ab honesto, ab utili, semper vellem majorem talem partem à primo loco primi parietis incipere & relinquere 1. 2. 3. 4. aut plures vo. culas in præcedenti pariete: quia ista sejunctione seu divisione memoria valdè juvatur: non quod aliter fieri non posit, si cui libeat statim subjungere, notabili aliquo signo addito, vel etiam ordinem ascendendi ex inferiore loco quem prima lectione demonstravimus sequi, vel quatuor interponere, cuiq; liberum relinquimus.

Experientia magistra.

Postremò experientia fidem faciet, si ex concione quamvis longa, vel oratione 20. partes minores, principales tantùm per voluntaria distribuamus: nulla prorsus addita imagine solius divisionis & ordinis auxilio, multò

multò firmiùs repetituros, aliis vel nobis ipsis hac methodo destitutis. Neque hæc adeò magna videri debent admiratione digna. Si enim ut fieri constat, reperiantur qui idipsum penè sine artis auxilio naturali memoriâ & exercitatione, ac variâ rerum experientiâ præstant: alii calamo etiam concionem aut orationem sequantur, vel omninò vel certè propemodum, quod in fœminis etiam verum esse constat: quantò feliciùs arte adjuti id præstabimus? & hæc his paucis à nobis proponi solent: ab auditoribus tamen latiùs examinanda sunt, & exercitatione confirmanda.

De argumentorum dispositione.

His hac hora adjicere solemus de argumentorum dispositione, propter conformationem collocandi, non rei ipsius. Inter omnes species præcipua est syllogismus: *Syllogismus* hic tribus partibus constat: propositione, assumptione, & conclusione: Interdum additur Propositioni vel Assumptioni Probatio, & vocant tunc Prosyllogismum. Propositio in medio primi parietis, & quæ de ea inter disputandum retinenda putabimus, in quatuor aut octo circumstantibus locis affigemus: Assumptio in medio primæ imaginis. Conclusio in medio tertii parietis. Quod si contingat fieri prosyllogismum, *Prosyllogismus.*

tunc illam enunciationem vel in medio quarti parietis ponemus: vel in 3. ac conclus: in 4. pro ut magis placebit. Si verò Enthymema fuerit & desit major, vacabit ille: donec inter disputandum eliciatur: & tum suis quæq; locis mediis & circumstantibus defigentur. Si verò inductio fuerit: prima pars in medio primi parietis: secunda in medio secundi: tertia in medio tertii cum signo hoc, &c. aut simili. In medio quarti conclusio, &c. Nam omnes partes enumerare longum, nec receptum est.

Enthymema.

Inductio.

Ex his facilè colligitur quomodo Sorites, Dilemma, aliæq; argumentationum formæ sint exprimendæ. Alii volunt argumenta in locis partium corporis humani poni: majorē in capite, minorem in extensa dextra manu: conclusionem in sinistra: Et si contingat fieri prosyllogismum, tum majorem detrahendā ex capite in pectus & in capite tunc prosyll. poni: & quæ de unaquaq; parte in locis conceptis circa caput, manus, pectus: Verùm non tam commodus hic mihi, & obscurior videtur: Ideoque priori quo nihil accommodatius inhærendum existimo, salvâ cuiq; sua voluntate.

Iam quoniam fundamenta tradita, Regularum, vocabulorum, intellectorum, & non intellectorum, Sententiarum, Rerum,

de Personarum collocatione, de concionibus, orationibus, &c. nullum obstaculũ est, quin admotâ manu operi, praxin auditores aggrediantur: ad comparandam promptitudinem in facilioribus, ut deinde ad majora procedant. Quâ quidem exercitatione non egent illi, qui ex studiis & variarum rerum usu promptitudinem secum adferunt. Illis enim non incommodum aut difficile erit, statim suæ professioni accommodare: sed quia omnes tales non sunt: multiq; sint adolescentes in humanioribus aut Philosophicis hærentes, in eorum gratiam hæc dicuntur. Horâ unâ aut duas, si cui sat temporis est in 4. quadrantes aut semihoras dividemus: & cuiq; certum horologii pulsum attribuemus, primo quadranti aut semihoræ 4. 5. 6. matutinâ pro cujusq; vacatione, quinque exempla memorabilia ediscemus interjecto intervallo 2. 3. aut 4. horarũ videlicet, horâ 8. 9. aut 10. quinq; sententias: rursus 2. 3. aut 4. pomeridianâ, decem vocabula, quorũ 2. 4. 6. 8. sint non intellecta. Iterum hora 7. 8. aut 9. tria tantùm ad formã præscriptam formentur cubicula: quæ ratio ita discreta est, ut si quis quotidiè se per totã vitam exerceat, nihil incommodi aut defectus sit metuendum. In applicatione verò gravioribus

PRAXIS artis Memoriæ.

In humanioribus Studijs.

In gravioribus.

gravioribus ſtudiis aut rebus conſultum intervalla temporis obſervare, & ſemihorâ tantùm aut tribus quadrantibus horâ nunquam continuò excedere: præcipuè in iis quæ vehementiorem ſpeculationẽ aut mentis applicationem requirunt; utendum arte ût gladio, non aburendum. Si quis autem hanc exercitationem præmittat ad promptitudinem facilitatemq; ad majora, conſequendam, theſaurum ſibi comparaverit, quo per totam vitã ornabitur, & ex quo ea promet, quæ non mediocrem præterea adferent utilitatẽ Quadringenta enim exempla memorabilia ferè, totidemq; ſententias, mille aut circiter vocabula, omniaq; ante ignota didicerit: quæ in quocunque colloquio, concione, confeſsione, in adhortatione ad virtutes, dehortatione à vitiis: vel in convivio al âve congregatione inſtructionis ergò vel recreationis poterimus promere: locos etiam excipiendis rebus plurimos habebimus ſimul in promptu. Obſervari autem ideò pulſum certæ horæ volumus: quia ea quæ ita conſtituimus nobis facienda, aliis omnibus rejectis, diligentiùs obſervamus: Sin aliter, ſæpè fiet officii intermiſſio. Exempla ſive res, ſententiæ, vocabula, erunt ſucciſivis horis colligenda, vel in idoneis

Vtilitas exercitationis hujus artis memor:

Ratio cur horæ pulſus obſervandus in arte Memor.

neis libris notanda Arithmeticis figuris. Nã si tùm quærere & seligere velimus, quadrans fere prætereat; Est alia forma praxeos qua hora in duas partes dividitur, & una in 25. vocabulis discendis impenditur, per tantundem temporis in sententiis, postea in rebus. Verùm prior modus magis probatur: eò quod omnes partes simul exerceantur, varietate & utilitate non injucunda.

De ordine in principio satis prolixè videmur locuti, cum quo magnam habet affinitatem connexio, quam nonnulli catenulam memoriæ vocant. Et hæc duplex est naturalis cum res à natura cohærent, ut terra, aqua, aër, ignis: Artificialis cum vocabulorum imaginibus actiones tales attribuuntur, ut una se cum alia semper exerceat: ut igniferum veru, avis, capo, armus ovillus, puer, cineres, ancilla, baculus, mater; ut illa certiùs infigantur, hac consideratione fiet: igniferum uncum habet quo sustinet veru, hoc transpositum avi, caponi & armo ovillo, à puero vertitur in cineres: ideò ancilla illum percutit baculo, ac objurgatur à matre, quòd hoc faciat. Vel Petrus flagellum, canis, porcus, situla, cervisia, vermes, arena Petrus flagello cædit canem: hic porcum mordet fugientem, & situlam cervisiã

Connexio catenulæ memoriæ.

cervisiâ plenam evertentem, in cujus fundo vermes sunt, qui effusi, ne nauseam moveant aspicientibus, arenâ teguntur. Actiones quidem ridiculæ videntur: sed si in rebus seriis tempore & loco adhibeantur non carent suâ utilitate: ut dum dixit Angelus Ioachimo, Vade statim Hierosolymam ad portam auream, &c. & ad Mariam: Et ecce cognata tua Elisabetha, &c. per hanc catenulam scio in proximo sequi portam auream & visitationem B. Virginis. Verùm hæc connexio non est omninò necessaria, ùt patet ex vocab. supra positis petra, &c. Inter quæ nulla est connexio. Ideoq; non est etiam nimiùm affectanda, rebus præsertim non ferentibus.

CAPVT VI.

De locis ulterior tractio. De imaginariis. Abolitione imaginum, Repetitione. De colligatione librorum.

De Locis.

QVamvis primâ lectione ea omnia de locis licuisset dicere, quæ ad eorum tractationem spectant: tamen consultiùs visum, in hanc horam transferre: ne remora injiceretur magis necessariis, præter 4. formas hactenus traditas: quarũ 1. quinq; habet in uno

in uno pariete, 2. novem, 3. novem quoq;, sed ordine primæ formæ. 4. viginti quinq;, ac in toto cubiculo vel 20. vel 36. vel centũ. Accedit quæ centum habet in uno pariete: faciuntque quadringenta in uno cubiculo, 100000 in magna fronte domus: & hæc forma si quis imaginariis uti non potest, proxima & laudatissima est post domos & cubicula. Valdè ad rem facit ex uno cubiculo facere tria & ad multa utilissimum & factu facilimum: si nempe tapeta 4. parietum, ita opponantur à pavimento, ad tabulata ut tamen figurâ quadratâ pateat transitus, & concipiatur ab uno quoque 4. laterum lux peculiarem fenestram esse. Quod si præterea quatuor cubicula addamus erunt septem: si illa quatuor duplicentur undecim, si 8. triplicentur simul erunt 27. ut ex figura patet. Si quis tractatum cum omnibus appendicibus velit disponere, ut de Christo, de Ecclesia, de patientia, &c. Titulum, cum LL. §§. &c. in illo medio & angularibus commodè fieri posse videtur.

Formæ Locorum concipiendorũ in civitatibus.

Alii locos accipiunt in Civitatib: pictis, ut Colonia ab uno latere cum Rheno præterfluente, & ab altera parte consideremus portas, turres, templa, alia{que insigniora, facilè

facilè erit notare, quæ locis usui sint. Alii in firmamento duodecim signa circuli Zodiaci accipiunt, quæ cum repræsententur figuris Leonis, Tauri, Cancri, Virginis, Libræ, &c. in iis locos Astronomus præsertim optimè sumserit: sicuti constat Metrodorum Sceptium fecisse, quem ob peritiam artis memoriæ vehementer laudat Cicero, Quintilianus reprehendit: sed hic fatetur nunquam cõtigisse, ut adesset repetentibus ex tempore per artem quamlibet multos versus: ut satis insinuet se artis fuisse ignarum. Non mirum igitur si temerè & ex ignorantia Metrodorum reprehendat, ut & hodie fit: cùm tamen ùt postea dicemus in Leone Tauro, &c. haberi loci non incommodè possint: imò cum unaquæque stella visibilis major sit totâ terrâ. Igitur septem planetæ & stellæ fixæ, & aliæ, si fixas fingamus, pro locis servire queant: & sic pro omni scibili innumeros habemus. Non nulli in chartis Geographicis certo ordine oppida, pagos, maria, flumina, sylvas aliaq; observant, diversis coloribus distinguentes: consultiùs autem in specialibus provinciis, quàm generalibus fieri. E. G. In Brabantiç, Flandriæ, Franciæ, Normaniæ, Austriæ, Alsatiæ, Helvetiæ, &c, tabulis: non in Italiæ, Galliæ,

In planetis & stellis.

In geographicis chartis.

liæ, Galliæ, Germaniæ, Hiſpaniæ, &c. aut Europæ, Aſiæ, Africæ, Americæ: his tabulis Geometræ forſan delectarentur: Quidam in libris magnis & explicatis: in quibus unaquæq; facies notam habet Arithmeticam oppoſitam loco diſtinctivi: cumq; 20. 30. 40. 50. aut 200. libri chartæ in unum volumen poſsint compingi, maximum inveniemus locorum numerum: qualibet facie parietem repræſentante. Hîc autem aliquid ſe offerre videtur incommodi. Libro enim clauſo videntur aliquo modo imagines ita coneludi, ut non appareant: quod ipſum de cubiculis clauſis videtur. Sed ſi quis conſideret in his cubiculis parietes eſſe diſtantes, & aërem ac lumen intercedere, aliter paulò res ſe habet: Ibi verò non item: licet hoc uſu & exercitatione ſublatum iri non dubitem. Alii in homine ut in vertice, fronte, occipite, oculis, genis, auribus, ore, barba, gutture, &c. per partes anteriores progrediendo. Nonnulli in animalibus terreſtribus ut Leone, tauro, &c. Aliqui in avibus ut in grypho, grue, ciconia extenſis alis: Quidam in magnis piſcibus maris, monſtriſq;, balenæ capite, pinnis, dorſo, ventre, cauda, &c. Multi naturales volunt montes, flumina, ſylvas, &c. Sunt qui in arboribus certum

In paginis librorum numeratis.

In membris hominum.

In anima. lib: terræ, aëris.

Maris.

In montib: flum: ſylv: In arboribus.

certum numerũ ſumunt, ad radicem, truncum, ramum, &c. Aliqui in aëre, in ignis elemento, terræ, aquæ: quos omnes exceptis cubiculis in ædibus & frontibus earum negligo.

In Elementis.

Imaginariæ ſpeculationis forma.

Si quis autem imaginariis delectatur, is maximam facilitatem experietur: ac de iis ſic habeto. In ſolitudine aut alio in loco idoneo, regio aut civitas concipienda: & in illa domus, fortiter applicando mentem & frequenter repetendo, ut jam non imaginariæ ſed reales videantur: Si hoc aliquis non poteſt, conſultum eſt realibus uti, ac pro locis efformabimus domum unam quadratam, & in unaquaque domo quinque cubicula tantùm, vel decem, 15. 20. aut 25. ad libitum cujuſque: eaq; erunt diſtinguenda numero feneſtrarum: Primum cubiculum habeat unam feneſtram: alterum ab utraq; parte unam: tertium duas ab una parte, unam ab altera: quartum duas utrinque: quintum tres ab una, & duas ab altera, & ſic ulteriùs in 2. 3. 4. latere, & jam primum latus primi cubiculi diſtinguitur à ſecundo 3. 4. latere, colore. E. G. Si in primo latere ſit color ligneus, in ſecundo albus, in tertio niger, in quarto rubeus, ſic abſolutè hæc fuerit formata; ſi addantur diſtinctiva de qui-

de quibus statim loquemur. Absoluta una domo ad alteram, ab hac ad tertiam, quartam, sextam progredimur: donec sufficientes habeamus. Malim autem eas in ordinibus diversis constituere, in singulorum mœnibus 10. aut 12. turres quadratas, & unicuique domum oppositam, ita ut frontes se invicem respiciant, & in medio 25. tanquam propugnaculum: nec obstat sive quis ita velit 24. in mœnibus, vel 50. aut 100. & totidem oppositas: Suadeo tamen numerum 25. non excedere & potiùs plura castra formare.

Erunt fortasis, qui unam civitatem malint, & in mœnibus 100. turres, plateis optimè distinctis, 3. aut 4. in longum, & totidem transversim euntibus: iisque domibus repletis: Et sic una tantum civitate opus esset pro omni scibili. At ob causam paulò antè dictam castra longè præfero. Nec debet unumquodque tantùm cubiculum distingui, sed etiam domus castris deficientibus, fenestris & coloribus, majusculis Arithmeticæ notis, qui in infinitum progrediuntur, literis latinis, Græcis, hæbraicis utemur iisque capitalibus, comunibus vel colore mutatis: imaginibus sanctorum, hominum illustrium, veteris & novi testamenti,

Pontificum, Imperatorum, Regum, &c. Insigniis regnorum, provinciarum, civitatum, pagorum, familiarum: instrumentis artificum omnium & utensilium domesticorum, animalium terrestrium, piscium, herbarum, fructuum, partium corporis humani & vestium, &c. item diverso habitu ordinis hominum tàm secularium quàm Ecclesiasticorum: quæ si quis prudenter instituat pro infinitis sufficerent domibus: nec hic ullus erit defectus. Suasero autem in unoquoque angulo cujusq; cubiculi unum ponere distinctivũ utile, Christus, Sanctus Petrus, S. Linus, S. Clemens & sic ulterius: ita quasi aliud agentes loco illorum, quæ ad nihil serviunt, nisi ut distinguant, eam utilitatem consequemur, ut nomina Pontificum, Imperatorum, Regum, volucrum, animalium terrestrium, & piscium, &c. addiscamus: quod valdè non solùm pulcrum, sed utile etiã. Si quis paucioribus velit esse, contentus in ostio tantùm ponat unum. In castris quæ turrim in medio habere velim, statuam in ipsa ponam pro distinctivo, & mœnia coloribus possunt distingui: albo, nigro, viridi, flavo, cærulo, cinereo, &c. tum permistos, ut album nigro conjungatur; idq; per omnes simplices, album cum rubro, album

bro, album cum flavo, album cum aureo, &c. Idem in ostiis cubiculorum & in parietibus interioribus servari potest. Liceret etiam domum quandam, accipere, in cujus lateribus 100. essent cubicula & in tota 400. deinde in primo tabulato 20. 40. 60. 80. aut 600 sumere cubicula, totidem in 2. 3. 4. 5. 6. &c. usq; ad 100. aut ultra, ac tum una domus sufficeret pro omnibus necessariis: sed tum consultum esset mensam habere: & in ejus quatuor marginibus in charta numerum & dist: notata habere: ut si contingeret aliquid excidere, levatis chartis respondentibus numero tabulati, quæramus quod excidit: hæc tamen domus ob causam antepositam non placet. Laudabilis est modus, si quis ponat statuas Pontificum, Imperatorum, Regum, aut Sanctorum, &c. à se invicem justo spacio distantes, ordine quadrato, recto aut circulari & singulæ tabulam instar mensæ à terra ad umbilicum teneant: vel à latere: ac in earum qualibet quinque, novem aut plures locos capiamus. Nonnulli in cœlo meditantur attribuentes Distinctivum, Palatium, Fenestram, locos, &c. Michael: Gabriel: &c. Patriarch: Proph: Apost. &c. thronũ quadr: instar cubiculi: ac tum res se habet, ut de cu-

biculis dictum est: vel instar sedis in qua decem, quidam in inferno, & ibi unicuiq; peccatori carcerē dant, aut sedē, ut gentilibus, homicidis, fœneratoribus, quod de carcere, & de sede ut modo dictum, & de throno intelligendum. Atq; hæc sufficere arbitror de locis, sive realibus sive imaginariis ex quibus singuli eos seligent, quos judicabunt suo ingenio accommodatiores: vel ipsi, ex nostris consideratis, facilè meliorem rationem fortè invenient. Summa nostræ sententiæ est tanquam optimæ, ut sive realibus sive imaginariis delectemur, capiamus castra in iis, domos, &c. Et hæc omnia talia arbitror, ut ad actionem spectent. Addamus aliquid quod ad cognitionem.

Vltra centenarium numerum locorum in uno cubiculo hactenus non sumus progressi: si unumquemq; parietem in centum partes quadripatentium quasi fenestrarum dividamus: erunt quadringenti in uno cubiculo. Si rursus in unaquaq; istarum, primâ utemur formâ; erunt bis mille: si secundâ aut tertiâ, ter mille sexcenti: si quartâ, & cum hîc viginti quinquies centum in uno sint pariete, efficientur decem mille: si scilicet jam rursus illas centenarias partes quadruplicamus.

Fingamus esse vitrū & singulas ejus partes ex centum minoribus quatuor partibus

constare, erunt 10000. in uno pariete, & in toto cubiculo 40000. Si demum unam formam ponamus in unaquaq; parte minore fient 50000. in uno pariete, & 200000. in cubiculo. Si verò secũdá vel tertiá, fient 90000 in uno pariete: & in cubiculo 360000. Si quartam erunt 100000. in uno pariete: & 400000. in cubiculo. Si autem quintá, fient 2500000. in uno pariete, & 1000000. in cubiculo. Si postremò sextá, precedens numerus esset quadruplicandus fientq; quatuor milliones in cubiculo. Et ista diximus ad cognitionem pertinere, non quod in actum deduci non possint. Imaginationi enim obediunt omnia, & in loco minimo, ut exercitum centum mil. hominũ pugnantium concipere licet: sed consultũ non est ita facere, cum melior ratio iniri possit. Si tamen aliquis vellet partes minimas quatuor: ut demonstravimus, deberet distinguere juxta modum supradictũ, ac singulas earũ quasi parietes considerare. Cubiculis autem benè formatis, oportet unicuiq; materiæ suá domum seu castrũ attribuere: ut domũ Grammaticæ, domũ Rhetoricæ, Dialecticæ, &c. Domum unam Bibliis secundam 3. 4. 5. 6. 7. 8. C. D. Tho: S. Aug: Greg: Amb: Hieron: &c. domum vocabulis, domum sententiis sacris, domũ profanis, domũ concionibus,

Domũ festis, domũ controversiis, & ut uno verbo dicá una quæq; materia certis suis castris & domibus erit tradenda, eo modo quo in civitate benè constituta fit. Si quis enim libros, pannum, vinum, carnes, &c. vellet emere & vendere dirigeret se ad illas domos in quibus hæc talia vel emuntur vel venduntur: Ita etiam in hac arte faciendum, ut si in convivio vel conversatione vocabula, sententiæ, exempla, aliquid ex Grammatica, Rhetorica, &c. ex Bibliis, ex hoc aut illo Doctore audiamus, & illud nobis fuerit incognitum, in proximo loco vacante collocemus: si aliquid promere velimus certò dirigemus mentem ad illud castrum, domum, cubiculum, parietem in quo id quod poscimus esse scimus. Et hoc unum est ex præcipuis in arte quo neglecto, aliquid quidem præstare poterimus in vocabulis, sententiis, Rebus memoriæ imprimendis aut depromendis: at magnis operibus accommodare ut Theologiæ Iurisp: Med: Art: lib: hist: variis, nisi eo quem diximus modo observato, omninò esset difficile.

Sed quoniam neque memoria naturalis per se ipsam sola, neq; arte adjuta sine repetitione certo quodam tempore adhibenda, depositum

depositum fideliter retinebit, ut cum opus sit reddat: ideò necessaria est omnium per artem in thesauro memoriæ repositorum repetitionem accedere: quæ sic institui potest: Faciamus aliquē edidicisse hujus artis auxilio tota Biblia, Doctores Ecclesiasticos præcipuos, Philosophiā, artesliberales, &c. horam diei Dominicæ impendat Repetitioni Geneseos, non ex libro sed ex memoria obiter percurrens, an omnia debito modo se habeant? an nihil exciderit eorum quæ ad artem qua usus est spectent? Si sic, confirmata fuerit ista repetitio ut diutiùs commissum servet: sin secus defectui succurat, ne proxima repetitione in eundem incidat errorem. Feria secunda lib: Exodi: tertia, Levit: quarta, Numer: quinta, Deuter: sexta, Iosuæ, Iudicum lib: & Ruth: Sabbatho, 4. lib. Reg. Altera Dominica, Paralipomeōn, Esdr: Tobiæ Iudith, Esth: & Iob: Feria secunda, Psal. tertia Proverb: Eccles: Cantic: lib: Sapien: &c. Et ita 14. aut 20. diebus tota fuerint Biblia repetita: Deindè Doctores, &c Quicquid arti fuerit applicatum. Post menses 3. 4 aut 6. ab initio iteranda est ordine quodam à principio ad finem redeundo.

Cum autem mentalis sit, mira exerceri

poteſt celeritate 2, 3. aut 4. horis tota Biblia percurri queant. Quemadmodũ autem de utriusq; teſtamenti libris dictum eſt: ſic de Iuriſprudentia, Medicina, aliisq; ſtudiis eſt accipiendum. Septem artes liberales huic arti applicatæ, totidem diebus ſine faſtidio aut difficultate repeti queant. Sed ut certiore id fiat modo ac ordine ſingula in ſuis palatiis & domibus reponantur. Hac repetitione obſervata bis terve, forſan non opus erit illa continuare diutius, vel ſaltem 2, 3. aut 4. anno opus erit iterare. Huc accedit, quædam ſua naturâ talia eſſe, ut nunquam poſſint excidere: ut hiſtoria Danielis, Iudith, Ionæ. Nec eſt quod quis exiſtimet difficilem aut impoſsibilem eſſe repetitionem juſtæ partis tam brevi tempore. Nam ſi oculis externis, unâ horâ pervolare & repetere poſſumus tota Biblia imaginibus expreſſa materialibus: tam citò enim atq; folia vertimus, uno intuitu videmus quid in iis agatur, ſi videlicet omnia antè nobis cognita ſint, ut debent quæ per artẽ locis affiximus: quãtò magis mentis oculis, qui multò citiùs operantur.

Verum id notandũ magna volumina in compendiũ eſſe redigenda, ac tantũ principalia & quæ neceſſariò tenenda ſunt arti applicanda.

plicanda. Insuper quę apud diversos Doctores eadē inveniuntur ex uno tantū collocanda, qui ex omnib⁹ id optimè tractarit: annotatis in margine aliis, apud quos eadē inveniuntur: alioqui res longi esset negotii: nisi supradicta prudēter ac diligēter adhibeātur.

Quot modis loci concepti evacuandi.

Locos autem impletos si iisdem uti volumus, ad alia disponenda evacuabimus octo modis: quorū primus est, ut intervallo temporis sinamus imagines evanescere. Secundus sicuti consideratione, & forti mentis applicatione & repetitione aliqd imprimitur contrariâ viâ aboleamus: videlicet avocatione mentis & intermissa repetitione occurrentes sponte repellamus. Tertius ex duobus prędcedentibus conjunctus est efficacior singulis: licet secundus satis vehemens sit: tamen ferè fit ut duo illi conjungātur. Quartus expeditissimus, & utissimus ac efficacissimus, ut nempè tapetæ vel pannum parietibus opponamus: & ita imagines tectæ nihil impedient collocationem in tapetis. Hic modus illud præterea habet commodi: quod imagines in parietibus positæ quamvis tectæ: tamen subsistant, ut deletis aut non deletis esse liceat. Quintus ut transeuntes mente cubicula, & locos concipiamus sive imaginibus & actionibus, sicuti fuerunt antequam quicquā in illis positum,

1.
2.
3.
4.

atq;

atq; ita sæpius mente pertranseamus: aut si imagines mortuas vel immobiles concipiamus. Huic modo periculum subest: ne aliis imaginibus positis, in repetendo dubitatio
6. oriatur. Sextus, apertis januis & fenestris omnibus exortâ vehementissima ventorum procellâ, omnes quasi chartaceę leviter
7. affixæ, remotæ fingantur Septimus, ancilla omnia cubicula & castra scopis purgaverit, atque invisibiles sibi imagines deposuerit: aut propter preciositatem è loco moverit,
8. ne pulvere maculentur. Octavus, fingimus furore percitum hominem, comitatum armatâ coronâ, castra, domos, cubicula occupasse, alias imagines occidisse: multas percussisse, timore alias per januas fugisse, alias per fenestras se præcipitasse, ac intrantes nullas invenire. Sed observandum ea quæ semper cupimus memoria tenere, affigenda talibus imaginibus ex quibus nunquam amoveantur: sed repetitione firmanda: pro iis verò rebus quæ non nisi per diem unum 2. 3. retinendæ sunt, meditanda cubicula in quibus hæc talia disponantur: & tum fuerit hæc collocandi & delendi forma: Meditabimur quinq; domos modo supradicto, ac primo die in prima domo ponemus retinenda brevi tempore; secundo die in secun-

do cubiculo;

do cubiculo: tertio in tertio: & sic progrediendum usq; ad 20. Si experimur illo temporis intervallo non satis abolitas, eodem modo ad 2. domum ibimus, & erunt 40. Si nec tunc ad 3. & si opus in 4. & 5. Et sic 20. 60. 80. aut 100. interceſſerint: quorum aliqua forma ſufficere debet ad evacuationē: Sin minus, tum neq; longius ſpatium ſuffecerit ſed aliàs ſerviet 4. modus. Quanquam autem 3. modi poſteriores aliquid jocoſi habere videantur: ſunt tamen à magnis in hac arte viris traditi: quorum auctoritate nixus & ego proponere non erubeſco: ac pro diverſitate ingeniorū faciendum videbatur; nec tamen ideò inutiles: quia ridiculi aliquo modo apparent. Si quis autem 4. aut 5. res diverſas vel cauſas uno die vellet diſponere, is 10. 15. 20. aut 25. domos modo ſupradicto deberet formare, &c. prout viva voce latiùs eſt declaratum.

CAPUT VII.

De Librorum collocatione, & autorum citatione. Adjunctis. Dictatione & celeri ſcriptione.

CVm collocandi ſunt libri alicujus profeſsionis: neceſſe eſt habere imagines

eorum

eorum paratas: quisq; ergò poterit formare eas circa quas versatur. Studiosus S. scripturæ Bibliorum, Theologiæ Doctorum & Scholasticorum, Iurista legum, Canonista canonum, Medicus medicinæ, Philosophus philosophiæ, Logicus Logicæ: ac sic alii, in sua quisque professione, pro cujus faciliore formatione notandæ sunt hæ regulæ. 1. Scribendi omnes libri circa quos formator cupit versari, 2. imago facti præcipui libri, tituli, agentis aut primę dictionis libri vel alicujus cap: modò sit repræsentativa nominis libri. 3. illa imago ponenda in libro, aut in loco collocanda erit persona repræsentans libri. 4. potest uti formator auctore libri, ut citando D. Paul. constituetur cum libro in manu, & ut sciatur qualis sit, ponenda erit hujus figura: ut si erit Epist: ad Cor: in dorso Epist: quam manu explicatam tenet, collocet figuram cordis. Si voluerit ponere auctoritatem Evang: constituat Evangelistam Matthæum cum Angelo, Marcũ cum Leone, Lucam cum bove, Ioannem cum Aquila: & si idé auctor plures scripsit libros ejusdem subjecti, signis distinguendi sunt. E. G. pro Evangelio S. Ioan: ponatur in suggestu prædicans: pro Epistola ad mensam sedens ac scribens: pro Apocalypsi oculis in cœlum

Regulæ notandæ. 1.
2.
3.
4.

cœlum defixis, tanquam res novas & inusitatas videns. S. Lucas scripsit Evangelium pro quo eum ponet cum Christo: pro Actis Apostolorum cum Apostol. Moses scripsit Genesin pro qua ponetur ejus imago cum Adamo & Eva: vel Dei creatis cœlũ & terram &c: pro Exodo, cum Pharaone, vel filios Israel, eo duce transeuntes per mare rubrũ: Pharaonẽ cũ suis in eo submergi: pro Levitico Moses cũ Levita vel Sacerdote: pro Numeror: lib: Moses cum exercitu vel 10. notis Arithmeticis in tabella: pro Deuteronomi cum tabulis quas populo explicat. Pro lib: Iosuæ ipsius imago; Iudicũ per Othonielẽ, Deborã, Abimelechũ: Ruth per ipsius imaginem, librum. 1. Reg Per Saulẽ; 2. per Davidem: 3. Per Salomonem: 4. per Iorã, Iehu, Elisæũ exprimã. lib. Esd. per illius imaginem diverso verô loco pro 1. 2. 3. 4. Tobiæ senioris loquentis cum Angelo comite filii: Iuditha cum Holoferne: Esthera cũ Rege Assuero: Iob sua, Liber Psalmorũ Davidis cytharâ modulantis: Proverbia Salomonis habitu Philosophi togati: Ecclesiastes per aliquem parochũ in suggesto: Liber Sapientiæ, per Salomonis tenentis anguẽ sinistrâ, librũ dextrâ: Ecclesiasticus per imaginẽ Iesu Syrach: Esaias cum serra: Ieremias in lacu:

Daniel

Daniel inter Leones: Ionas in ore balenæ: Ezechias inter rotas & animalia alata: Machabæorũ ſuis imaginibus in ſartagine, &c. diverſis modis exprimantur: S. Gregorius habitu Pontificio, columbâ inſidente humero, Auguſtinus cor manu ſiniſtrâ rubrũ tenet, juxta illud civitas in cujus turri ſtatua Dei, & unâ manu librum, in cujus fronte nota numeri per digit: aut alia ſigna expreſſa: altera manu ſignũ num: cap. Idemq; judicium de aliis: quod diligens cultor hujus artis facilè aſſequetur.

Per citationem intelligitur ea relatio, quæ fit de libris, numeris lib: capitibus, titulis, aut ſimilibus: quæ variatur pro diverſitate profeſſionum. Teologus citatione utitur diſtincta partibus, articulis, membris, quæſtionibus, reſponſis. Iuriſperitus quæſt: cano: tit: leg: gloſ: paragrapho, conſil: Dig: Cod: Medicus ſent: tract: cap. ſectione, aphoriſmo, &c. Philoſophus textu, commentario. Omnis autem citatio reducitur ad tria capita: primò ad lib. 2. nomen: lib. 3. ad adjunctum libri & nominis libri. De citatione lib: modò dictum eſt, cui illud adjungendum: nomina & titulos lib: etiam poſſe figurari ipſis lib: quorum ſumus poſſeſſores & quibus utimur quotidiè: ut ſi

quis

si quis velit exprimere Aristotelem in Metaph. ponat in manu Arist: lib: suum quem novit, in quo Metaph. ejus habetur. Si I. Lipsii libros Politicorum, constituatur imago Lipsii, & det ei suum lib: in quo scit esse Polit. Si plures libri conjuncti sint, tum frons lib: ostendatur, si priorem placet designare: si 2. occiput: si tertium priora cornua, &c. usq; ad sex: Plures vix simul ligari consueverunt. Idem judicium de aliis esto. Possunt etiam distingui coloribus, ut unus sit albus, alius niger, tertius rubeus, quartus viridis, &c. E. G. Evangelium S. Ioannis, rubro: epistola viridi: Apocalypsis nigro: atq; ita in musæis lib: unius asseris diversis singuli coloribus: & item 2. ass: atque sequentium. Ac tum facilè constabit quis sit lib: albi coloris 1. 2. 3. 4. &c. Item lib: nigri 1. 2 3. 4. &c. Item ruber 1. 2. 3. 4. &c. ass: quod admodum conducere ad dist: exactissimam videtur: & facilè factu, si charta lib. levigata in cornibus sit: & priora ostendat.

Adjunctum libro & nomini libri, est caput, numerus, & *similia*. Et hoc interdum præcedit nomen *libri*, interdum sequitur. Præcedit quando auctor multos scripsit libros ejusdem subjecti, ut si dicatur, Aug: *lib.*

2. de civit. Dei, dandus lib: sequente num: quem præcedit nomen operis & lib. Sequitur immediatè, cum in specie fit citatio distinct: text: & similium: ut si dicatur Aug: lib. 2. de civit. Dei cap. 4. Illa dictio cap: est Adjunctum immediatum: Numerus verò 4. est mediatum. Fit autem mediat: per numerum ut in supra dicto exemplo: aut per dictationem, ut Iurisper: qui adducunt primam dictionem leg: Panorm: cap: Tua nos. Et eodem progressu aut numero, aut dictatione multæ fiunt citationes mediatæ.

Ordo in Citationibus observandus.

In citationibus observandum, ut fiant ordinatè. Numerus libri, ponatur in una parte libri & caput in altera: ne confusio oriatur. E. G. Aug: lib. 3. de civit. Dei cap. 8. datur in manu dextera liber, & ejusdem tres digiti erecti ostendunt tria, & altera manu tenet calicem juxta caput. Et ita habetur à capite caput, & à calice octo. Possunt etiam imagines numeris formari ipsis digitis personæ & si excedit manum, ponere licebit imagines in partibus corporis personæ.

Citatio dictationis, capitis, tituli, aut legis, &c. fiat regulis imaginum dictationum figuratarum: ut de pupillis, viduis, usura, &c. ut exemplis viva voce declaratum est. Adjunctum, caput, textus, commentarius, Glossa,

Gloſſa, leges paragraphi & ſimilia poſſunt formari trifariam. 1. per imagines ſecundũ methodum imaginum. 2. depingendo aut ſculpendo in lib: majuſculis literis iſtas citationes, aut ex figuris inſt: Alphab: 3. more Notariorũ â nomine, quod incipit cũ prima litera citationis: utendo eâdem perſonâ, undè pro capite, tangat caput; pro lege, labiũ; pro gloſſ. genas, &c. Sed caveat formator uti eâdem parte pro duabus citationibus, cum uſui veniet utraque citatio: quoniam confuſionem alioqui pareret: niſi diſtingueretur: ut videlicet labium corallinũ indicet legem, lividum & nigrum lect: caput flavum ſignificet capitulum, nigrum commentarium, album conſtitutionem, & ſic de cæteris. Hæc ratio mihi non adeò placet: quin mavelim aliis figuris uti in omni profeſsione: formatis appoſitè pro qualibet citatione: ſicuti ex figuris videre licet ad oculum oſtenſis: ad quarum imitationem quilibet ad placitum ſimilia facilè excogitabit.

Pluribus Scribis ſimul ſi dictande diverſæ materiæ.

Admiranda illa dictatio, qua nonnulli leguntur decem aut pluribus ſimul ſcribis diverſas dictaſſe materias; aliquando dono quodã ſupernaturali fit, de qua hîc non agimus: & ea quoque fieri poteſt per artem, ut

non solùm 10. sed 20. 30. 50. 80. 100. dicemus. Quicquid autem volumus dictare aliis, idipsum nobis memoriæ tenendum & disponendum per cubicula: sicuti in vocabulis, sententiis, rebus, exemplis satis ostensum est, ut recto, retrogrado & intercalari ordine promptè repetamus, atque ita in 5. cubiculis centũ habebimus vocabula, quinque scribis unicuiq; cubiculum assignabimus & ex eo dictabimus, sive vocab: sive sententias, sive etiam res. Si decem scribis simul, ex his 100. voc: unicuiq; duo parietes attribuendi. Viginti scribis dictaturus ex his ipsis 100. unicuiq; unum assignet parietem. Si unicuiq; 20. vocab: aut sententias, aut res, tum oportet 20. habere cubicula impleta: si centum & unicuiq; voc: sen: aut res, 100. cubicula debent esse impleta. Nam extra theoriam 20. locos in uno constituimus cubiculo, & quidem in vocabulis facilè est, & sine errore, aut hæsitatione perfectè fieri potest: si modò quod præsupponitur exactissimè ipsi memoriâ teneamus In sententiis & rebus una se offert difficultas, meminisse in dictando quod ultimum cuique vocabulum sit dictatum, in quo tantùm eaq; magna est difficultas.

Quomodo in

In epistolarum dictationibus ita quoque proceden-

procedendum est, ut una quæque divisa in certas partes distribuatur per 20. locos, epist: secunda, in secundo cubiculo, tertia, in tertio, quarta, in quarto, &c. ac tum singulis scribis singulas epist: ex locis cujusq; cubiculi dictabimus: & judicio facilius epistolam de verbo ad verbum posse dictari, quàm si verba accommodentur extempore quod majorem tamen habet utilitatem, & usum frequentiorem: exercitatio promptitudinem sufficientem suppeditabit. Vt autem in genere exemplo declaremus, accipiantur 10. breves epist: dividantur in 20 particulas: quarum unaquæq; 1. 2. 3. aut 4. lineas contineat: ac tunc partes debitè in suis locis collocentur: accedat repetitio, deindè dictatio: Si verò materia epist: animo concepta dividatur in aliquot partes, & modo dicto per locos disponatur: attribuenda deinde verba sunt ex tempore, remora verò de qua paulò ante dictum est tolletur diligenti distinctionum, commatum, hypocom: colon: & periodum observatione: vel si per certum numerum vocabulorum dictemus: sic tamen id fiat, ne ullus videat, ac primo singulis sex, 2. totidem, &c. si tum contingant hæsitare numerentur vocabula. Si ter dictatum jam vocabulum 19. voce

pluribus Epistolis simul dictandis operandum.

Exemplū.

perlegendum: si 4. vocabulum 25. &c. Sed hic modus seipsum prodit, & absurdi quid habere videtur: ideò ad tertium quo nihil elegantius aut certius cogitari aut fingi posse videtur, confugiendũ: videl: 1. dictatione figurã primi numero Arithmetico subjungimus singulis scribis: duobus duo: tribus tria, &c. deindè quinq; sex, &c. actum ex istis imaginibus certissimè ultimum vocabulum, & sequens undè pergendum, videbimus: non minùs, quàm ipsas imagines quibus vocabula sententiæ, vel res oculis mentis objiciuntur: sed sint figuræ latæ insigni colore, ut fortiùs moveant.

Partes Epistolæ.

Partes Epistolæ aut historiæ, non opus est valdè curiosè multis imaginibus exprimere, sed una vel paucis admodum: ac iis adjuti, si antea nos exercuerimus, dextrè poterimus operari.

Qui verò vellet excipere varias Epistolas, paucis verbis indicatas, unumquemque locum cujusq; parietis dividemus in quinq;, atq; in ea materiam collocabimus, usque ad 20. in uno cubiculo, si opus est, aut ad 6. 8. 10. cubicula pro ut occasio se offert: Reversi in musæum â prima incipiemus ex 1. loco, donec omnes descriptæ sint: quod tantò expedi-

expeditùs fit, quia Secretarii & qui ab Epistolis sunt, exordiendi & finiendi formulas tenent, ac titulos cuiq; pro statu & dignitate attribuendos.

Si quis liber ab aliis occupationibus 100. breves Epistolas ediscere, & arti applicaret modo dicto, non est dubium quin feliciter magno cum stupore videntium succederet: quod à condito orbe factum legitur de nemine: & licet ad cognitionem potiùs talis dictatio referatur, quàm ad actionem: non tamen caret utilitate, ut viva voce ostendimus. Contenti igitur 4. 5. 6. 7. 8. posse dictare, non tanto labore opus est in retinendis ultimis vocabulis aut materia: quia in tam paucis facilè erit optatum scopum consequi: neque usu venire solet, ut pluribus, quàm 4. 5. 6. aut ad summum 7. aut 8. simul dictemus: Imò hæc pars ab iis qui non indigent potest prætermitti. In dictationibus quamvis peritus Dictator & scriba item, sciant ubi respirandum & notæ distinctionum adhiberi debeant: ideoq; non sit opus indicare: tamen ne hîc quisquam à nobis quid desideret, satisfaciamus. Simplicissima forma est & commodissima, ut comma semilunio, vel semiglobo aureo, hypocolon plenilunio

aut toto globo ſuppoſito, colon duobus integris his vel illis, periodus alterutro, nota admirationis: puncto impoſitâ ulnâ vel haſtâ, interrogationis ſignum per terebram: parentheſis 2. ſemiluniis oppoſitis aut globis, ex quibus alia facilè ſingentur. Idipſum geſtibus etiam fit, ut ad oculum demonſtratum eſt.

Quid obſervandũ concionem calamo excipientibus?

Scribentibus quoq; de verbo ad verbum ex viva voce oratorum, aut concionatorum, eodem modo 300. 400. aut 500. plures aut pauciores formandæ ſunt dictiones, iiſque ſigna danda & characteres Locorum, qui ubi fuerint familiares ſcriptori, celeriùs excipiet quàm dictator queat eloqui. Sed volentibus ſe diligenter in hoc exercere obſervandæ ſunt regulæ ſequentes.

Regulæ.

1. 1. ſcribendę in libello dictiones uſitatiores alicujus facult: & exercitii.

2. 2. formæ & characteris ſigna diſtincta pro unaquaq; dictione longiore præſertim, danda ſunt.

3. 3. characteres ſint breves ac faciles, & qui paucis ſcribantur literis aut figuris: ne plus temporis in iis formandis, quàm in ipſis dictionibus præterlabatur.

4. 4. dictionibus brevibus & parvis dentur characteres minores, magnis majores.

5. 5. characteres poterunt eſſe literæ alphabeti Latini, Græci, Hæbraici, figuræ Arithmeticæ,

meticæ, communes vel Latinæ, lineæ Geometricæ & alia signa locorum pro arbitrio formatoris. 6. licet formare characteres ex primis dictionũ literis, in quo vitanda est similitudo. 7. abbreviationes familiares Græcæ, Latinæ, Logicæ, Philosophicæ, &c. 8. praxis & successus hujus videtur difficilior in particulari, propter laborẽ qui requiritur, ad reddendos characteres familiares: tamen quia est professio singularis, cui quidam se totos dedunt: omnia diligenti exercitatione redduntur facilia. Initium autem fiat in scripturis latinis aut vulgaribus: scribunturque char: non promiscuè omnibus, sed usitatioribus & sæpiùs occurrentibus. 6. 7. 8.

CAPVT VIII.

Quomodo Gram: Rhet: Dial: & cæteris liberalibus artibus. Item Theologiæ, Iurisprudentiæ, Medicinæ, hæc ars Memoriæ applicetur, & quomodo Legati, Advocati, Procuratores, Notarii & alii ea utantur.

Transitio ad artes liberales.

REstat ut nunc ostendamus quomodo hæc ars liberalibus artibus & gravibus discipl: accommodetur, Inprimis quod ad Grammaticã, accipiendus auctor, qui optima methodo scripserit, hoc est, quin h l su-

Grãmatica.

perflui habeat, & cui nihil desit, quiq; veritatem maximè secutus, & ordinem qualis est L. Schenckelii Rhet: Corn: Val: Dialectica, Aug: Hun: Grammatica dividatur in tres partes. Rudimenta, Syntaxin, Prosodiam. In rudimentis traduntur octo partes orationis inter quas Nomen & Verbum primas obtinent. In primo igitur latere primo cubiculo 1. 2. 3. 4. 5. 6. disponemus ordine, quæ in libro habentur, quid? quotuplex? genus, casus declin: &c. quæ à singulis excipiuntur in cubiculo duplicato: & si opus triplicato cõstituemus ex opposita regione, donec omnia sint absoluta. In 2. Pronomen quod uno facilè cubiculo excipitur. Verbum in 8. cubic: 9. 10. 11. 12. eodem modo quo de nomine dictum est, definitionẽ, divisionem, quæ primæ 2. 3. 4. Coniugationis? & quomodo faciant præterita & supina? quæ ab unaquaq; regula excipiantur? in opposito tapeto cubiculorum: In decimotertio Participium: In decimoquarto Adverbium: In decimoquinto Conjunctionem & Interjectionem. In decimosexto Præpositionem. In secundo latere primi cubiculi, Syntaxin defin: divis: & quæ initiò tradi solent in tribus parietibus: in 4 pariete quinq; regulas concordantiæ. In secundo cubiculo regimen,

Etymolog:

Syntaxis.

regimen nominativi; in tertio genitivi; in quarto dativi; in quinto accus: in sexto ablativi collocabimus; in septimo de infinitivo Participiis, Gerundiis & Supinis. In octavo de Syntaxi figurata. In tertio latere domus defin: & divis: Prosodię, circa quid versetur? &c. in primo cubiculo. In 2. de quantitate syllabarum in genere omnium, Positione, diphthongo, regula, exemplo; In 3. de quantit: in specie primæ syllabæ, præpositione & compositione: mediæ, accentu & diminutione. In 4. ultimæ, terminatione vocalis longæ: in 5. brevis & ancipitis; in 6. consorantis longę; in 7. conson: brevis, exceptionibus suis quibusq; locis è regione positis; in 8. de pedibus; in 9. & 10. de usitatioribus carminũ generibus: in 11. de virtutibus; in 12. de vitiis. Restat quartũ latus in quo notæ in totam Grammaticam ad tempus omissæ reponantur: nisi quis malit eas in cubiculis vacantibus primi lateris Rudim: 2. Syn: 3. Pros: subjungere si videlicet quodque latus 25. constet cubiculis. *Prosodia.*

Rhetorica in quatuor partes majores etiam distribuetur; & quælibet majorum in uno latere collocabitur ordine progrediendo, sicut ex singulis paginis videre ad oculum licebit: majoribus partibus in minores divisis. *Rhetorica.*

divisis, pro rei exigentia: & tunc tantùm unicuiq; cubiculo applicatur, quantum capere potest, vel quantũ consultum videtur. Omittatur autem si quid sit, quod omitti possit, ut aliquando unius tropi plura dantur exempla, ubi unum aut alterum sufficiunt: vel interdum paulò latiùs aliquid declaratur, ut rectiùs intelligatur eoq; jam satis perspecto non opus est multis verbis. Iudico autem Rhetoricá Cor: Val: per interrogationes & responsiones digestam commodissimam esse huic arti propter brevitatem, perspicuitatem & ordinem stylíq; elegantiam: utpote quæ ab aliquo in Latina lingua utrunq; versato, ferè intelligantur; excepto genere judicali, quo Iurisprudentiam aliquo modo tangit.

Dialectica. Dia: verò in sex ferè libellos dividitur; duo majores subdividantur, ut sint octo magnæ partes. In domo igitur Dialecticæ primo cubiculo disponatur definitio, divisio & alia præmitti solita. 2. universale & individuum. 3. genus. 4. species. 5. drffe-rentia. 6. proprium. 7. accidens. 8. de prædicatione. In 9. prolegomena in prædicamenta. in 10. antepred; sive tantum æquivoca. in 11. univoca & deno: in 12. Substantia; in 13. Quantitas: in 14. Qualitas; in 15. Relata

Relata ad aliquid; in 16. Actio & passio: in 17. Vbi & quando; in 18. Situs & habitus: in 19. ratio definiendi & dividendi: atque ita per reliquos libros progrediendo. Eodem ferè modo reliquis 4. artibus liberalibus erit applicanda: præcipuè si quis eas per definitiones, divisiones, aliaq; attributa velit retinere. Alioqui multò facilius in his quatuor quàm in illis tribus succedit, eo quod figuris ac lineamentis ferè demonstrentur.

Sed ad Theol: transeamus; hæc pro objecto habet Biblia. Ante omnia igitur illa sunt exprimenda, ad quod valdè juvabimur editione Bibliorum per imagines in folio, si varias editiones conferamus, ac ex iis qui latiùs hunc vel illum librum, vel partes, aut exactiùs expresserint observemus: si quid desit suppleamus: si non satis benè, meliùs faciamus ex arte quàm alii alio fine & sæpiùs sine arte in lucem emiserunt; Non sufficit tamen Biblia collocasse, sed explicationes adhibendæ. Inquiremus itaq; optimos auctores, vel in tota vel in partes plures, aut in unum librum atq; cognitis præstantissimis summatim in oppositis tapet: cubiculis duplicatis, vel si opus triplicatis adjungemus. Si autem apud plures idem, sæpe ut fit, inveniatur, ex uno eoq; præcipuo sumemus

memus, juxta paucis literis citata aliorum posita. Nec hæc Theologo sufficiunt, sed conciones dierum dominicalium, festorum Quadrag: Adventus. In Evang: & Epist: reliquorum dierum arti appficabit; In unoquoq; cubiculo unam constituens, & si postea quid addendum occurrat, in duplicatis & triplicatis cubiculis vel in circumstantibus, ut latiùs viva voce. Casus autem conscientiæ præcipuos in una 2. 3. aut quatuor domibus facilè exceperit ad hoc deputatis. Postremò controversias quaslibet suis disponat domibus, & cubiculis: quemadmodum studiosus Theologiæ vel jam in ea versatior & exactior facilè ex his colliget. Si præterea velit Doctores Eccl. D. Thom. vel alios quoslibet, singulis in compendium redactis, omnia diligenter considerans, modum applicandi ad artem semper aliquem inveniet: ut non pluribus pro Theologo opus esse videatur.

Iurisprudentia.

De Iurisprudentia verò sic habeto: omnes titulos & regulas juris, quasi per præludium suaserim disponere, ut eas quocunq; ordine exactè memoriâ teneat, ut quolibet recitato numero dicere, aut contra possumus: deindè in domus suæ primo latere constituat librum primũ Inst: in 2. 2. in 3. 3. in 4. 4. In

2. domo

2. domo, primo latere lib. 1. digest. in 2. 2. in 3. 3. in 4. 4. Et sic ulterius progrediendum per omnes libros Digest: Cod: Novel: &c. donec cuncti sint absoluti, semper in una domo, 4. lib. collocantes, quæ ut sit capax uniuscujusq; lateris, 10. 15. 20. aut 25. sint cubicula. Si quis in specie formam certam desideret, en tibi duarum primam.

In medio 1. parietis, 1. lateris, 1. domus ponatur primus titulus; in medio 2. parietis prima lex, in medio 3. 1. §; in medio 4. 2. §. & quæcunq; de iis retinenda putabimus, in 4. aut 8. circumstantias locorum, in medio 1. parietis, 2. cubiculi 3. §. donec omnes sint positi: actum in medio sequentis lex 2. primi tit: in 2. primus §. secundæ legis, in 3. secundus §. 2. legis, in medio 4. tertius §. secundæ legis: Et sic progrediendum, deindè omnibus tit: legibus & §§. absolutis; in medio sequentis parietis 2. tit: per tit: leges ac §§. donec omnes sint collocati. Secundò. Alii forsan mallent hanc viam ingredi, ut in 1. domo ponant titul: cum omnibus legibus & §§. & quicquid de iis retinendum, in 2. domo, 2. tertium, in tertia domo, &c. Tunc autem tot domibus opus est quot sunt tituli. In his quisque suo relinquitur arbitrio. Si observationes Mynsingeri, Gailii aut aliorum opera velimus

mus arti applicare, in suis domibus & cubi-culis ad hoc secundum demonstrationem præparatis discretè affigemus: in quo sicuti in aliis omnibus feliciùs procedent quibus res cordi curæq; fuerit.

Advocato quomodo agendum.

Advocatus quia Iurisconsultus esse debet, modo supradicto se geret in Iurisp. sed illi patronum causarum agenti, præterea necesse est omnium clientum causas, & adversariorum memoriâ tenere: & quid in quaq; factum sit. Ille igitur sicuti domui opponitur domus, & cubiculũ cubiculo, in plateis benè ordinatis, vel in cellis monachorum habeat cubicula, & in uno cubiculo efferat aptè per imagines, veluti aliàs in libris solent literis notare, quicquid in causa clientis actum: quod in adversarii, in opposito cubiculo, in 2. secundi, & sic ad 50. 100. 200. 300. 400. aut plures progrediatur: donec omnes expresserit quotidiè singulis addens, quod actum est, & repetat: ut suo loco dictum latiùs. Occurrente postea quovis cliente, interroganteq; in quo statu sit sua causa? statim mentem ad illud cubiculum convertet: eoq; invento leget oculis mentis celerrimè, ac dicet quod res est: ab occurrente alio interrogatus similiter: atq; ita cæteris quasi in manibus descripta videret, respondebit,

spondebit, si modò debitè fecerit officium, summa omnium cum admiratione. Ad eundem planè modum faciendum est Procuratoribus, aut si in aliquibus locis alia fuerit ratio procuratorum quàm Advocatorum: tamen quomodo artem dirigant ad suam functionem facilè ex eorum applicatione videbunt.

Medicina versatur circa corpus humanum ut illud sanum conservet, vel ægrum restituat: ad hæc omnia concomitantia diriguntur veluti ad scopum. De conservanda valetudine pauca sunt præcepta, & observatu volentibus facilia: In depellendis morbis major difficultas. Inprimis autem nosse oportet: quod sit multis signis & circumstantiis, urinæ, pulsus, linguæ, oculorum, sanguinis, tussis, coloris ac aliarum partium, & indiciis, &c. tum morbum pellere, quod sit herbis, fructibus, aromatibus, lapidibus, metallis, aliisq; rebus simplicibus; vel ex iis compositis, potionibus, pillulis, unctionibus, &c. Studiosus hujus facultatis (quem Philosophicis studiis benè excultũ statuo, præsertim Physicis & Astronomicis) omnia simplicia & aphorismos Hippocratis, quasi per præludium disponet: deindè institutiones artis applicabit: tùm

Medicina.

compendia, Galeni, Hippocratis, vel aliorum principum Medicorum: in quibus si quid desit, aut ad nostra secula aut regiones minùs accommodatum, ex Neotericorum præstantissimis supplere licet, ac singula in suis domibus & locis ad hæc secundum artem ordinatis constituere. Si quis malit primùm omnes herbas (sub quibus flores, radices, aliaq; simplicia complector) disponere in una, duabus, aut pluribus domibus, earumque vires quasi præludia ad medicinam dirigentia: valdè consultum id fuerit: præterea in 1. domo Aphorismos Hippocratis qui sunt velut certæ quædam regulæ aut potius axiomata locare: & si ex Galeno vel aliis similes sint collectę aut seligi queant sententiæ, operæ precium id quoq; fuerit: nisi malit omnibus simplicibus tanquam cubiculis distinctivis uti: sicut etiam usus imaginibus morborum, ac in quatuor angulis cujusque unam herbam vel morbum constituere, ut videlicet quocunque ordine omnia habeat simplicia & morbos, ut quotum unumquodque istorum sit, expeditè referre possit. E. G. Tremit aliquis toto corpore, & est hydropicus: vix ossibus hæret, & est Phtisicus; flava cute est, & ictero

sive

sive morbo regio laborat: & sic de cæteris, morbo ex signis & circumstantiis benè perspecto adhibenda sunt remedia, singulis pro qualitate morbi & personæ: quæ omnia secundum artem expressa, divisa, variis modis ad libidum cujusq; locis committenda. Forsan non esset inconsultum medicum sic morbos, & remedia constituere, sicuti declaratum est, juris studioso titulos, leges, paragraphos esse collocanda, ut scilicet in medio 1. parietis 1. cubiculi 1. domus ponat primum morbum, & omnia ad illum facientia in 4. locis ejusdem parietis, & reliquis tribus parietibus & etiam 4. duplicatis, aut triplicatis, vel quocunque in aliis 4. aut 8. angulis cubiculorum de quibus suprà: secundum morbum in secundo: & ut paucis dicam quæcunque medico scitu necessaria sunt compendiosè digerenda, dividenda, exprimenda & in diversis domibus pro diversitate materiarum vel librorum aut capitum, &c. disponenda. Ex his medicum aut medicinæ studiosum perspicere existimo, quomodo huic arti omnia sint accommodanda: atq; ex Theol: Iurisp: applicatione, ac Philos: graviorumq; studiorum methodo etiam aliqua colliget,

quæ suæ professioni appropriet: tum ipse quoq; ex suo ingenio aliqua, si fuerit ei res cordi adjiciet. Facilè enim inventis aliquid additur: & plures plura vident, quæ non videt omnia solus.

Legatis & Commissariis quid in hac arte faciendum.

Legatis ad Principes si proponantur 10. 20. 30. 50. aut 100. articuli à Principe aut ejus nomine ab alio: eos omnes ordine, & ea quæ ad unumquemq; respondenda inter audiendum occurrunt, debet retinere. Vt igitur id possit auxilio artis feliciter & summa cum admiratione, quod sine arte nemo mortalium, ita fiet: si locos habeat paratos in triplicatis cubiculis, ut statim primam in primo loco primi parietis collocet: & quæ in mentem veniunt respondenda in primo loco oppositio videlicet in tapeto, & tum ab altera parte tapeti, alius vacat in usum aliorum, si res ita ferat: eodemq; modo 2. articulus in secundo loco, & responsio item in oppositio. Et sic ulterius progrediendum, donec omnes sint excepti cum responsionibus: ac deindè ex lectione art: & responsionum paucis imaginibus exceptarum instituenda narratio ex tempore, exornanda verbis, & arte eloquendi. Præsupponitur enim legatus in præceptis & praxi Rhetor:

ac Dial:

ac Dial: exercitatus, & variarum rerum experientiâ edoctus: quibus posit is, exercitio hujus artis reliqua feliciter perficiet: alia verò subsidia ex applicationibus artium liberalium aut graviorum disciplinarũ præcedentibus, quidam etiàm ex methodo studiorum suæ professioni utilia, si fuerit perspicax, facilè colliget: Restat ut privatim se exercendo, ùt decet, promptitudinem, ut cum opus erit dextrè utatur, studeat comparare.

Mercatores, Notarii & alii, ex supradictis, si exercitato alacriq; sint ingenio, invenient modum suis negotiis, sive etiam historiis sacris aut profanis, & concionibus accommodandi: quæ omnia sigillatim recensere longum & tædiosum esset. *Quid Mercatoribus & aliis.*

CAPVT IX.

De Regulis artem adjuvantibus, Methodo studendi, In quibus artis medulla sita sit.

RElquum nunc est ut 28. regulas subjungamus, quæ adjuvant artẽ laudabiliter exercendam: quarum aliquæ licet in supradictis satis clarè tactæ sint, & aliquæ tales sint, ut quis per se illas observet, ac non- *Regulæ 28. artem adjuvantes.*

nullæ forsitan sint non magni momenti, non ingratum tamen spero si adjungantur.

I. Reg: Personis attribuendæ sunt actiones convenientes ipsorum conditioni. Non enim rectè ac decorè Regi vel Principi actio agricolæ tribuatur: vel contra.

II. Reg: Imagini motus attribuendus, & si res est immobilis seu inanima, constituenda persona, quæ eam debita actione repræsentet.

III. Reg: Nec sint otiosæ, quia non satis excitant memoriam; ut si equus sit in loco, pede terram pulset aut fodiat: si lupus oves dilaniet & devoret. Hæ duæ regulæ satis in prima lectione à nobis habitâ, sunt indicatæ his verbis: attributa aliqua insigni actione.

IV. Reg: Si res aliqua fuerit animata sed parva, ut formica, musca, cicada, constituenda erit persona ipsam monstrans: ut autem videatur, fiet primò præfixione mentis: secundò per res adjunctas hujusmodi insectis: ut si in patina melle oblita, persona flabello ex plumis facto det signum abigendi muscas: formicæ in cumulo frumenti occupentur: tertiò per res à certis personis fieri solitas: ut si quis ancillam in stragula lecti quærentem, & ungues interdum collidentem constituat: ut pulex exprimatur: sic pediculus per gestum fabulæ Æsopicæ vulgò notæ,

Equidem

Equidem malim hujusmodi insecta imagine magna exprimere, veram tamen figuram referente, ut videlicet formica, musca, cicada, sint instar passeris; columbæ, felis; canis, agni, vel equi. Imaginationi enim obediunt omnia. Sicuti enim turris, castrum, civitas in exiguo loco, ut est unguis digiti pingitur: sic etiam contra res minima si opus sit magnâ formâ repræsentari potest.

V. Reg: Imagines proportionem quandam habeant ad locum, & non excedant, quod quomodo fieri debeat paulò antè dictum est: figuratione vel imaginatione omnia fiunt proportionata: atq; ita pro domo turris, pro terra navis potest poni.

VI. Reg: Personæ in locis collocandæ sint grandes, vivæ & efficaces, quoad fieri potest, quoniam plus movent. Hæc regula etiam satis insinuata fuit iisdem verbis quibus secundam & tertiam diximus.

VII. Reg: Figuræ & imagines ne sint solitæ in eo loco esse, in quo collocandæ erunt. Non enim satis efficaciter excitarent memoriam: quia mente transiens crederet rem non esse loco repositam, sed partem in eo loco esse solitam: & ut huic occurratur difficultati: observanda est regula variationis

attribuendumq; aliquid insoliti. E. G. Si in loco consuevit sedes esse: & tamen in eodē pro imagine ponenda, subversa vel inversa constituatur, vel pendeat: quo signo abundè constabit, non rem esse ordinariam, sed formatam per imaginem.

VIII. Reg: Ex improviso collocantibus, sufficit unā imaginem committere loco. Sed per otium & lentè si fiat: non est inconsultum plures uno in loco constituere benè distinctas, & commodè oculis mentis se offerentes.

IX. Reg: Imagines habeant actiones deformes, fœdas, ridiculas: hoc ipso enim magis movebunt; quod cum fieri potest sine indecora representatione, valdè utile est Operatori.

X. Reg: Doctè Cicero monet de vigore seu vita & insigni actione: quia illa fortiter excitat memoriā; quales sunt res admirabiles, novæ, raræ, delectabiles, deformes, ridiculæ, horribiles, magnæ varietatis, pulcritudinis summæ, monstrosæ &c. ut homo sciſſa facie, magno naso, gibbositate monstrosa: Item res dignitate excellentes, Papa, Imperator, Rex: item excedentes in paupertate, ut vir laceris vestibus & penè nudus. Hæc & talia valdè sunt idonea ad vitam seu vigorem imaginum. Ideoque operator oculos ad hujusmodi debet habere intentos.

In col-

In collocatione imaginum, repetitione quadam utendum est, ut videlicet absoluto uno pariete repetamus eum, antequam ad 2. procedamus: deindè hoc absoluto ad 3. ac 4. antequá ulteriùs progrediamur: & si benè repetimus, ultra tendimus: alioqui ubi errorem experiemur, subsistemus: ac diligentiùs considerantes dabimus operam ne secundò usu veniat. XI. Reg:

Si hoc die res aliqua pro imagine posita est, eadem pro alia re non est sequenti die collocanda: ùt si hodiè agnum posui, ut agnus legatur, cras pro innocentia non expedit ponere: quoniam confusionem parere queat, præsertim si prioris non simus obliti: aut si imago non fuerit variata per signa, & benè firmata distinctione mentis & repetitione, XII. Reg:

Cum oratio vel periodus memorię commendanda est, de verbo ad verbum: primô bis térve legenda est tardè, distinctè ùt vult Cicero, quod non exiguam adfert utilitatem. Sed hoc non sufficit: nam deindè in compendium redigenda, &c. ùt latiùs dictum est tit. de Conc. & ratione exercendæ memoriæ, &c. XIII. Reg:

In collocatione imaginum proportio generis per sexum exprimenda erit: ut divi- XIV. Reg:

tiæ per fœminam divitem potiùs quàm per virum: sic ponam virum actionem cum libro exercentem; ut hinc constet de genere: Neutrum autem per hominem larvatum effero, qui mihi neuter est: nescio enim virne sit an fœmina: & is operatur aliquid circa scamnum, portat, abjicit, ultra saltat: vel animal quod ducit, percutit, insidet, &c.

XV. Reg: In integris verò periodis aut orationibus si inveniantur forte 8. vel 10. plures vel pauciores dictiones, quas quis facilè recitaret sine alia collocatione, tum non opus est subire laborem imaginum: sed sufficit notare præcipuam, quæ nobis alias in mentem reducat. Quod accipiendum est de dictionibus aut orationibus quas semel recitatas non cupimus diutiùs retinere: utpote actionum forensium, &c. ut dictum est, principem. Quidam enim ingeniosè noverunt effingere vocem artificiosam, aut dictiones paucas quibus memoria juvatur: ut quàm plurima repetat: unaquæq; enim litera dictionem, dictio sententiam, hæc exemplum memorabile aut totam historiam suggerit, E. G. HINRICVS. Habens Iesum Nazarenum Regem Iudæorum Custodem Vitæ Suæ. P. V. T. O. N. S. I. N: per P. Princeps sine literis quasi, &c. V. Vt in mare flumina

De hiis sententiis vide in fine hujus libri.

flumina, &c. T. Tyrannorum versutia, &c. O. Obedientia virtutum, &c. N. Nulla Reipub. &c. S. Servire Deo, &c. Quod latius filiis artis examinandum relinquo. Hæc sola regula si benè applicetur, efficit artem quandam neutiquam contemnendam.

Imagines habeant proportionatam altitudinem, ne oculus se de beat nimis attollere aut deprimere, ut videat. Aliquid momenti habet hæc regula si ad oculos exteriores referatur: verùm si ad mentis parùm. Tam citò enim mens Romam, Hierosolymam vel per longius spacium se dirigit, atq; ad locum proximum: Nisi quis dicat sympathiam aliquam esse inter aciem oculorum & mentis: Per se regula mala non est, & valeat quantum potest. *XVI. Reg:*

Non oportet nimium festinare, ut subitò collocentur imagines, cum non opus est festinatione, nam paulò post occurrentibus melioribus magisque idoneis, difficilè erit priores statim ita delere, ut aliæ sine difficultate substituantur: & ægrè meliores omittimus. Voluendum igitur animo & revolvendum, utrùmne convenientiores occursuræ sint: deindè benè formatæ disponantur. *XVII. Reg:*

Ante omnia videndum ut imagines sint rerum *XVIII. Reg:*

rerum notissimarum, & abstinendum à fictis & incognitis, vel minùs cognitis, cum haberi possunt veræ & notæ, vel magis cognitæ.

XIX. Reg: Quemadmodum similitudo locorum multùm obest in operatione, ita & imaginum. Ideò danda opera quoad fieri potest, ut sint diversæ; ne ex similitudine error oboriatur: ut si dicam tres Franci, distinguantur cicatricibus, gestibus aut alia re attributa: quod infinitis modis fieri posse alibi dictum est, ut si unus sit gibbosus, alter unoculus, tertius sine naso.

XX. Reg: Habenda quoque ratio æquivocorum & synonimorum, ne pro cane signo cœlesti, terrestrem legas, aut pro petra saxum, &c. quæ electione mentis seu præfixione distingui possunt, in collocando & repetendo: & quæ omnia perficit, exercitatione.

XXI. Reg: Si plures imagines exprimendæ sunt personę, uno in loco operator studeat variare, ut magna una atq; altera sit cum pluribus parvis, ne tam multi occupentur loci, & plurium sint capaces, & diversitate efficaciores.

XXII. Reg: Cum verba & conceptus seu periodi capiuntur ex charta, in loco collocantur: non applicanda est memoria chartæ, sed huic solùm,

lùm, hoc est, ita erunt concipienda quasi tantùm in pariete seu loco essent positæ. Duplex enim esset labor, recordari utriusq; & pareret confusionem: quia mens distracta vacillat, & confunditur attentione ad diversa.

In collocandis & repetendis imaginibus cavendũ, ne utamur gestibus alienis ab arte pronunciandi; sed liberi simus ab omnibus indecoris hujus regulæ defectibus. Inventi sunt quidam in recitando immobiles, oculis fixis in pariete instar statuæ; quod non solùm indecorum est: sed præterea artem detegit, in qua præcipuum est ipsam celare, libertate actionum observatâ, quasi solius naturæ felicitate faceret. Nisi igitur aliquis, se privatim exercendo ab hujusmodi caveat: publicè aliquando imprudenti & invito eveniet hoc vitium. XXIII. Reg:

Hac arte non est in omnibus passim utendum, ut singula quæ quis legit, videt, audit, per artem memoriæ tradat, ac retineat: sed potissimùm studiis difficilioribus applicanda, ac rebus magis necessariis: ut causis forensibus, disputationibus, responsionibus, concionibus. Potest tamen aliquis successu temporis, multùm hac ipsa se in omnibus juvare: ac tum requiritur, ut materiam XXIV. Reg:

studeat

ſtudeat benè intelligere, & in brevem ſummam redigere: ac ſuis quæq; locis conſtituere, ut dictum eſt: qua memoriâ comprehenſa, vel potius mentis acie lectâ, reliqua facilè ſuccedunt.

XXV. Reg: Requiritur in hac exercitatione vacatio mentis: ne virtus naturalis per occupationem exteriorem diſtrahatur.

XXVI. Reg: Debet quoq; eſſe manſuetus, ne irâ, impatientiâ, vel alio turbetur affectu.

XXVII. Reg: Sobrietas etiam hùc ſpectat: ne per ebrietatem virtus naturalis ſuffocetur. nam ebrietate ita ſenſus interiores impediuntur, ne rectè faciant officium. Non tamen ipſa officit arti, ſed naturæ quæ omnia operatur: longè tamen melius arte directa. Inſuper ſi quis quotidiè ebrius eſſe conſueviſſet, ſed crapulam edormiret- manè in arte ſe exercere poterit: & quæcunq; ſobrius applicuit, etiam ſi tum, cum neq; mens neq; corpus officium facit, hic etiam nihil poteſt: tamen ad ſe reverſus omnia videbit ſibi conſtare.

XXVIII. Poſtremò matutino tempore vacandum huic exercitio: quia mens poſt quietem & ab aliis occupationibus libera, inq; ſilentio vegetior & aptior multò eſt, ad ſuſcipiendas ideas ſeu ſpecies oblatas.

In Methodo Methodus ſtudendi artes liberales ac graviores

graviores disciplinas, connexa theoriâ artis memoriæ, qua quis commilitones ea destitutos superet, quamvis ingenio & industria præstantiores, licet à perspicacibus auditoribus facilè animadverti queat: tamen in aliorum gratiam eam hic nudè proponemus. Consistit autem in his præcipuè: 1. ut ejus disciplinæ Auctores aliquot præ cæteris excellentes noscamus: ac unum ex omnibus Principem eligamus, in quo omnem ponamus operam: reliquos tamen legamus. Distribendi autem erunt Auctores alicujus facultatis in tres ordines: ac præcipuam operam collocabimus in Auctore primi ordinis: habendi tamen, legendi & consulendi etiam secundus & tertius, ut si quid utile ac notatu dignum, quod non est in illo, aut non tam benè, indè in suum locum transferatur. Id ipsum quoque non erit inconsultum in 1. classis scriptoribus facere. Nemo enim in omnibus æquè excellit: & vilis aliquis scriptor interdum partem aliquam meliùs tractat, quàm excellens: qui cum plurima egregiè, quædam tamen non tam excellenter, ut apud alios medii aut infimi generis inveniuntur: qui multa vulgariter, unum aut duo eximiè tractaverunt: præterea quæ plures eadem habent,

Studendi quid operandum?

1.

habent, absolutè & perspicuè satis, in aliquo omnium præstantissimo suis locis annotanda: vel ex omnibus in commentarium referenda, aut saltem in indicem. Illorum deindè libri in compendium redigemus ac ex pluribus unum quasi corpus formabimus: transportatis eò omnibus scitu necessariis. Tum aptè dividantur in libros, capita, materias: idque per partes majores & minores. 4. Vnaquæq; imago exprimenda & per domos, cubicula suis locis collocanda. 5. Repetitio quotidiana partis alicujus majoris certâ horâ instituenda: ut parta conserventur, & indies justa fiat accessio: quod caput est in omni studio. 6. Vulgò nota, sunt de prœvidenda lect: diligenti mentis, inter docendum attentione, & retractanda, 7. In disputat. paucæ sed utiles quæstiones proponendæ: eas si ignoremus memoriæ commendantes, aut libris, ut ex iis fructus sequatur; neglecta illa puerili cõcertatione, qua tantùm quoquo modo se liberare student, ne ad pulsum finiendę disput: victi sint in catalogũ referendi, nulla ferè aliâ utilitate proposita. 8. In dubiis frequenter doctiores vel ipsi Præceptores consulendi. 9. Omnia semper studia fiant per intervalla, ubi hora studiis impensa, respirandum tantisper.

tisper. Optimè enim ita studia succedunt.
10. Tempore feriarum postquam animus honestis recreationibus relaxatus fuerit, & corpus moderato refectum exercitio, deambulationis, pilæ, saltus, &c. aptiora sunt multò studia, valetque tum acies mentis, ut cultri post justam acuitionem. Si igitur duab⁹ aut tribus horis lusui honesto tributis, una subtrahatur studio, repetitioni tribuenda: deindè per unam aut duas ad recreationem redeatur, experiemur unâ illâ plus nos profeciſſe, quàm aliàs duabus: ac ingenium tum penetrare, & quasi in luce videre, ad quæ aliàs cæcutimus. 11. Ad hanc methodum etiam maximè facit Index vocabulorum, sent: & rerum, elocut: artificii Rhethorici Dialectici, &c. & quicquid in singulis auctoribus legitur, aliqua de causa notatu dignum ad illum referre. Non tamen omnia describenda erunt: quod maximi esset negotii; sed uno aut altero tantùm verbo, vel saltem quàm pauciſsimis fieri poterit, annotandus locus in quo hæc aut illa inveniantur: ad eum fermè modum (quod quidem attinet ad materias) quo Index Biblicus collectus est. Si enim id prudenter fiat (magnum studiorum compendium judico) unusquisque liber semel tantum erit,

10.

11.

magno cum fructu legendus: & tamen quæcunq; notatu digna, indicis auxilio semper in promptu habebimus: alioquin legendis relegendisque libris, vita hominum brevis consumitur: itaque indefesso studio, bonæ methodi defectu, quasi saxum Sisyphi perpetuò volutatur. Atq; hæc faciunt ad studendi methodum in genere.

Logico atq; Physico quid agendum?

Sed daturus operam Physicus comparabit sibi dictata, sub eodem professore, præcedenti cursu ab aliquo qui cæteris perfectiùs exceperit, eaq; precio aut precibus comparanda. Non contentus tamen dictatis professorum præcedentis cursus, commentarios in Arist: Paris: Lova: Colon: Conimb: Rom: vel aliorum Acad præstantissimos ex multis selectos consulet, in hoc vel illud caput: ut si quid sit singulare quod in dictatis vel cõmentariis ejus Academiæ in qua studiis dat operã non habetur: aut non tam clarè ac benè, decerpat: non tamen ut semper in tam diversis legendis occupetur. Si autem iidẽ Professores non alternatim Logicos & Physicos suscipiant: tum confugiendum erit ad præstantiss: commentaria, & ex iis optima quæq; erunt seligenda, & summatim ordine convenienti digerenda: ad quæ rectius præ-

standa

ſtanda conſilium profeſſorum fidele, valdè erit utile. Antequã igitur ſcholam adeat, textum legat, relegat & diligenter expendat dictata Prof: ſuper eo, & commentaria conſulat, atque ita conſideret ſcitu neceſſaria: ut ſi non exactè, ſaltem aliquo modo teneat: idque ſit loco lectionis prævidendæ. Profeſſores avidè, attenteque audiat: è ſchola domum reverſus audita retractet: & tum ex ſcitu dignis præcipua quæque infigat exactè: omnia verò quæcunque in tota Logica & Phyſica & Metaphyſica (idem judicium ſit de aliis artibus liberalibus) paulatim per libros, capita vel materias progrediens ſummatim colligat: vel ſaltem in libris fuſiùs tractata ſubducat lineis: ut ſummam retinendorum ſciat. His accedat quotidiana repetitio. Logicus poteſt ſemihoram ante prandium & aliam pomeridiano tempore, tribuere, vel ſi malit, totam horam ſimul, ante vel poſt prandium, ad libitum cujuſque: ſic ut totam Logicam repetat 14. 21. aut 30. ſaltem diebus: à fine redeundo ad principium, ſine intermiſsione: vel ſi totam nondum audivit, ad quem locũ perventũ eſt. Phyſicus jam factus ſemper continuet Logicæ repetitionẽ & tũ

eodem modo Physicam distributam repetat, progrediens usq; ad locum ad quem perventum est docendo, &c. Atque pro hac Physicæ repetitione, aliæ duæ semihoræ vel tota, pomeridiano tempore seu vespertino erit eligenda.

Metaphysicam continuet repetitione Logicæ & Physicæ, & tum adjungat hujus etiam partes aliâ horâ assignatâ, ut dictũ est de Logica & Physica. Hoc modo fiet ut omnia exactissimè quæcunq; didicerit retineantur, & quotidiè fiat accessio: quod caput est in omni studio. Eveniet etiam ut omnibus simul memoriæ inhærentibus ex collatione omnium inter se, videl: præcedentium cum mediis, ultimorum cum his, & illis, melius longè intelligantur, & multa ex iis dubia nobis occurrentia, vel quæ ab aliis objiciantur, ad quæ alioqui cæcutimus, solvantur: tantaq; hinc nascitur alacritas, ut vix dici possit: dum in examine professionis publico vel privato, & disputationibus ad proposita expeditè respondetur, etiam respondere quis desideret. Consultum præterea valdè est à parentibus tàm Professoribus quàm filiis præmia sub conditione proponi: eaq; satis magna, tum illi his erecti, sæpè ad musæum vocabunt, examinabunt, quæst:

Præmia docentibus & discentibus proposita magni sunt effectus.

quæst: doctioribus proponi solitas exhibebunt: calcar addent currentibus: consulti de dubiis faciles & seriò respondebũt. Quid multa? Effectus sequetur munere proposito dignus. Neq; solùm id faciendum si evadat primus: sed etiam si 2. 3. 4. 5. 6. Imò si inter 12. primos. Verùm pro loco sint majora vel minora, si quis dicat nota ea esse, ac vulgaria: Non quidem planè diffiteor in genere & sparsim nota: & unum hæc ex dictis, alium alia scire, vel etiam observare: sed omnia conjuncta & quasi in fasciculum colligata, simul ad praxin sunt reducenda: & haud dubiè effectus sequetur admirabilis, & inexpertis omninò incredibilis.

In his autem præciptè medulla artis sita est: I. Vt quæ de fundamentis artis dicta sunt, benè intelligantur, fol: 67. II. Locos meditemur quotidiè, secundum formam præscriptam, sive reales, sive imaginarios. fol: 110. & seq. III. Regulas vocabulorũ intellectorũ, fol: 69. IV. Reg: sententiarũ, fol: 75. V. Reg: rerum, fol: 78. VI. Reg praxeos seu exercitium in supra positis secundum formam: quod vim habet omninò incredibilem. fol: 107. VII. Cui debet conjungi Repetitio custos omnium fidelissimus, &c. fol: 120. VIII. 1. aut 2. modus exprimendi numeros

meros Arithmeticos ſervetur, fol: 96. IX. Collocatio librorum, & citatio auctorum, fol: 125. X. Citatio & adjunctum citationũ, fol: 128. & ſeq: XI. De concione & oratione, & argumentorum diſpoſitione, fol: 99. 103. 105. XII. Quæ dicta ſunt de diſtinctione locorum, ut unaquæq; domus cuiq; materiæ accommodetur, prima vocab. 2. ſententent. 3. Exemplis, &c. maximi ſunt momenti, fol: 119. XIII. Reg: diligenter legendæ & alia ſatis utilia ſup. cap. 7. fol: 149. cum ſeqq: XIV. Eximium quid eſt circa locos, ex uno cubiculo facere 3. 5. 9. vel 11. Sividel: in unoquoq; angulo in perſona diſtinctiva capiatur oſtium, ut per ea in alia 4. tendatur cubicula, & ſi ſupra vertices 4. alia oſtia prçter tria, octo accedunt, conſtituuntque 11. quod ad multa longè eſt utiliſsimum fol: 111. XV. Quæ de methodo ſtudiorum dicta ſunt, magni valdè ſunt momenti, & ad rem vel inprimis faciunt. fol: 159.

ADMONITIO.

PAucis hîc admonitos cupimus auditores noſtros, ut diligenter conſiderent eas partes, in quibus medulla artis ſita eſt: minùs neceſſariis ad tempus omiſsis. Nam hujus artis vim duntaxat ii noverunt, qui perpaucis contenti præceptis jugi meditatione, exercitatione

exercitatione & sedulo usu, facilem quendã habitum memorandi generarunt: quem nec leviter amittere possunt. Deindè non servatam à me in hoc libello methodum artis sed doctrinæ: quâ statim traduntur paucis foliculis maximè scitu necessaria. Postremò nemo miretur, novo quodã scribendi modo & hactenus non usitato cœlari artem. Id enim exemplo fecimus bonorũ ac sapientũ: adeoque ipsius Dei, qui quædã clarè, quædã verò obscurè & quasi quodã tecta velamine populo Iudaico tradidit. Christi quoque, qui Apostolis & discipulis quibus datũ erat nosse mysteriũ regni Dei, apertè; cæteris autem in parabolis locutus est, ut videntes non videant, & audientes non intelligant: ut est apud D. Lucam 8. cap. Quis insuper nescit, veteres plura suis etiam amicissimis abscondisse, & involucris fabularũ involvisse sapientię dogmata? Nõ sunt enim margaritæ, ut in proverbio est, porcis objiciendæ, neq; excellentiora secreta incapacibus: quæ cum assequi nequeunt, vituperant, multosque alieniores ab iis reddunt; Item non omnia quæ à nobis dicta sunt in arte memoriæ tradenda statim ad praxin esse reducenda. Vt enim omniũ auditorum ingeniis satisfaciamus (cum tot sint sententiæ quot homines)

& ne quicquam cœlare videamur: omnia quidem à nobis dicenda sunt: ex quibus singuli ea seligant, quæ ad exercendam memoriam suo ingenio accommodatiora judicabunt. Aliquando enim 4. 6. 8 de una re dantur regulæ, non quod omnibus utendum, sed unâ ex illis: pro cujusque libitu. Multa quoque traduntur ad illustrandam artem in gratiam eorum, qui omnimodam ex se promptitudinem non adferunt, quibus doctiores non indigent: Multa etiam utilia licet sint, omitti ad tempus vel omninò possunt: ut caput de citatione, evacuatione locorum seu abolitione imaginum, exercitio vocabulorum non intellectorum, &c. Et sicars facilis satis erit amatoribus & jucunda si quis VVesembecii, Mynsingeri, Gailii aut aliorum opera arti velit applicare, facilè si seriò animum adjunget: & si tiro aut candidatus tantùm, sæpè cum suæ professionis aliisq; doctis hujus artis auditoribus nostris consultet: inveniet modum omnia debitè exprimendi: & quantò diutius discretè in hoc applicandi exercitio versabitur (non enim uno die, ut in proverbio est, Colonia vel Roma ædificata) tantò expeditiorem facilioremq; consequetur.

In vocabulis per imagines alphabetarias exprimen-

exprimendis, si sint aliqua valdè longa: ut, inhonorificabilitudinationiquibuscunque, in quo sunt 36. lit: non opus est omnes exprimere, sed sufficit si 8. 10. aut 12. reliquæ facilè occurrent, ut fit in electione communi, aut licet 4. vel 6. primas, 2. vel 3. medias, & item ult: repræsentare, quarum adminiculo alias facilè simul repetemus: quanquã 36. personas aut 50. observare aut ordinem, ut ex iis sicuti literis concipiamus aut legamus, exercitato non est difficile.

Considerent singuli in sua professione etiam atq; etiam, quomodo debeant quælibet arti accommodari: in quo opus est studio, diligentiâ & cum aliis interdum consultatione. Plus enim vident oculi, quam oculus: & quod uni difficile, & remoram injicit, alteri facilè & expeditum. Nam in recta liberalibus art: & gravioribus studiis applicatione, tota hujus artis difficultas consistit: & eò omnia tanquam ad finem diriguntur. Si tamen occurrant quæ difficulter efferrentur; neq; supradicti modi placerent; E. G. aliqui psalmi, vel alia, talia licet sine arte, memoriæ commendare, quæ per artem nunquam impeditur, sed juvatur: ut quotiescunq; necesse est, quælibet communi modo ediscamus. Quanquam illi quibus

res cordi erit, & idonei, semper aliquem modum invenient artem omnibus accommodandi: etiam præceptis Grammaticis, & aliarum artium & linguarum: quæ tamen ex difficilioribus existimo. Si quis verò auditâ à nobis theoriâ, dubia quædam habeat: ad illa coram verbis proposita, vel absenti per Epistolam respondere nunquam gravabor. Tum etiam licet omnibus Auditoribus nostris inter sese de arte consultare: præcipuè candidatis alicujus facultatis cũ Doctoribus, Licent: aliisque & eruditione & perspicacitate, variarumq; rerum usu & experientiâ valentibus: à quibus abundè ipsis in dubiis poterit satisfieri.

APPENDIX.

DIvus ille Thomas Aquinas Angelicus Ecclesiæ Doctor extra omnem controversiæ aleam, communi omniũ facultatum Theologicarum totiusq; Ecclesiæ suffragio positus, sic inter cætera habet in aureo illo Volumine quod Summa vocatur 22. q. 49. A. 1. R. ad 2. Sicuti prudentia aptitudinẽ quidem habet, ex natura, sed ejus complementũ est ex exercitio, vel gratia: ita (ut Tullius dicit in sua Rhet:) memoria non solum à natura proficiscitur: sed etiam habet plurimum artis & industriæ: & sunt quatuor, per quæ homo benè proficit in memorando: quorum

do: quorum primũ est, ut eorum quæ vult memorari, quasdam similitudines assumat convenientes, nec tamen omninò assuetas: quia ea quæ sunt inconsueta magis memoramur: & sic in eis animus magis ac vehementiùs detinetur: Ex quo fit, ut eorũ quæ in pueritia vidimus, magis memoremur. Ideò autẽ necessaria est hujusmodi similitudinum aut imaginum inventio; quia intentiones simplices & spirituales faciliùs ex animo elabuntur: nisi quibusdam similitudinibus corporalibus alligentur: quia humana cognitio potentior est circa sensibilia. Secundum, ut homo ea quę memoriter vult tenere, sua consideratione ordinatè disponat, ut ex uno memorato, facilè ad aliud procedatur: undè Philosophus dẽ memoria: A locis videmur reminisci aliquando. Causa autem est, quia velociter ab alio in aliud veniunt. Tertium ut homo solitudinem apponat, & affectum adhibeat ad ea, quæ vult memorari: quia quantò aliquid magis fuerit impressum animo, tantò minùs elabitur: Vndè Tullius dicit in sua Rhetorica, quod solitudo conservat integras simulacrum figuras. Quartũ quod ea frequenter meditemur, quæ volumus memorari: Vnde Philosophꝰ de memoria: quòd meditationes

memoriam

memoriam ſalvant: quia ut in eodem libro dicitur: Conſuetudo eſt quaſi natura: unde multoties quæ intelligimus citò reminiſcimur, quaſi naturali quodam ordine ab uno ad aliud procedentes. Hactenus D. Thomas. Ariſtoteles verò paucioribus, ideoque obſcuriùs ſic habet: Memoria eſt poſitio ſub ordine & frequens meditatio, memoriam ſalvans in reminiſcendo: quod exponitur, ſpecies frequēter intueri in phantaſia reſervatas, auget memoriam. Cui alludit, Cicero dicens: Memoria artificioſa conſtat ex locis & imaginibus: quod namq; Ariſtoteles dixit, poſitio ſub ordine, hoc Tullius ex locis appellat: quod ſecundò Tullius ex imaginibus, idem Philoſopho frequens meditatio vocatur: ne quid in ſententia diſcrepent. Eſt quippè meditari ad ſe imagines & intellectum materiæ capere. Supradictæ definitioni & citatis à D. Thoma ex Ariſtotele locis adjungendum illud ejuſdem, ex libro tertio de Anima: intelligentē neceſſe eſt Phantaſmata ſpeculari: Ex quibus ſupra poſitis D. Thomæ & Ariſtotelis verbis, apertiſsimè colligitur: primò eſſe quandam artem memoriæ, qua naturalis memorandi aptitudo, à Deo fonte bonorum omnium hominibus indita perficitur atq; completur: ſe-

tur: secundò ex autoritate Aristotelis locos nominat, à quibus videmur reminiscì aliquando, adjectâ ratione: tertiò imaginum & similitudinum corporalium mentionem facit: quarum inventionem dicit necessariam, ut eis intentiones simplices & spirituales alligentur: alioqui faciliùs ex animo elabentes. Qualitatem locorum insinuat, dum inquit; ut homo solitudinem apponat, &c. quam confirmat auctoritate, citato loco Ciceronis. Quod solitudo, &c. Imaginum verò qualitatem exprimit, dum ait: convenientes, nec tamen omninò consuetas: additâ ratione illustrat: exemplo declarat: à necessitate confirmat: rationem confirmationis subjicit: eamq; rursus probat. Quartò ordinatæ meminit dispositionis: Quid autem aliud est ordinata dispositio, quàm ordo? Hic verò duplex est imaginum & locorum. Præterea dispositio ista ordinata locos in se complectitur seu connotat, in quibus similitudines collocentur: & simul respectum illum, tam imaginum quàm locorum, qui cathena memoriæ à nonnullis vocatur. Quintò loquitur de frequenti meditatione quæ nihil aliud est, quàm praxis seu exercitatio: quam auctoritate Aristotelis duabus ex ipso adductis

sententiis

sententiis comprobat, & amplificatione illustrat. Cum itaque tam ab ipso Thoma, quàm Aristotele, loci, imagines seu phantasmata, ordo & frequens meditatio expressè nominentur: in quibus solis hæc ars tota, tanquam in cardine versatur: necessariò sequitur, nec ullus æquus rerum æstimator negare potest: artem memoriç perfectè quidem licet paucis & obscurè, ut alia multa ab iisdem esse traditam: quam Cicero & ex eo Quintilianus tam latè tradiderunt, ut D. Thomæ & Aristoteli commentarii vice esse possint. Ex quorum tamen libris, non est quod ullus mortalium speret se praxin posse elicere, sine viva Doctoris voce, & demonstratione: non magis quàm Arith: Gram: Rhet: Dial: aliasq; artes scripto ad posteros transmissas.

Ratio exercendæ memoriæ à præclarissimis Rhetorum tam Græcorum quàm Romanorum uno quasi ore approbata: ferè ex M. F. Quintil.

MAxima pars memoriæ rectè ab iis dicta est 1. exercitatio & labor. Hæc autem exercitatio, commodiùs fieri non potest, quàm primò in poëmatibus, deindè in orationibus, postremò in operibus durioribus: qualia

qualia sunt sctipta Iuris, & similia. 2. Multa ediscere, multa cogitare, & si fieri potest, quotidiè, potissimum est. Augetur enim memoria curâ: negligentiâ intercidit. Quarè pueri statim quàm plurima addiscant, & quamcunque ætas operam studio juvandæ memoriæ dabit, devoret initiò tædium illud, & scripta & lecta sæpius revolvendi, & quasi eundem cibum remandendi: quod ipsum hoc fieri potest leviùs, si pauca primùm, & quæ tædium non adferant, ceperimus ediscere: tum quotidiè adjicere singulos versus, quorum accessio labori sensum incrementi non adferat: ita ad infinitũ usque perveniet. 3. Est ratio & expeditior, & potentior ediscere tacitè. 4. Si verò aliæ subeant cogitationes animũ otiosum, ut plerunq; fit: tum excitandũ est voce: ut duplici motu juvetur memoria, dicendi & audiendi: sed vox hæc sit modica & magis murmur. 5. Ea tamen ratione, ut nos tentemus an teneamus? Quia continua lectio, & quæ magis & quę minùs hęrent æqualiter tranſit in experiendo, teneáne, & major intentio est, & nihil supervacui temporis perit: quomodo etiam quæ tenemus repeti solent: Ita sola quæ exciderunt, retractantur: ut crebra

reiteratione

reiteratione firmentur: quanquam solent hoc ipso maximè hærere, quod exciderunt. Qui autem legente alio ediscit: in parte tardatur quidem, quod acrior est oculorum, quàm aurium sensus, in parte juvari potest: quod cum semel aut bis audierit continuò illi memoriam suam experiri licet, & cum relegente contendere. 6. Ac semper ad verbum ediscendum est si tempus permittit: Ideoq; à pueris præcipuè obtinendum, atq; in hanc consuetudinem memoria exercitatione redigenda est: sin minus res ipsas tenebimus, deindè his verba ex tempore accommodabimus. 7. Observandum autem in hac re: ne assuescamus nobis ignoscere, nam admoneri, & cum dicas ad librum respicere, turpe est. 8. Quod si naturâ memoria durior fuerit, aut temporalis ratio & angustia non permitteret: non te ad omnia verba alligabis. Hoc enim inutile esset, tutiusque multò, comprehensis animo rebus ipsis, libertatem sibi eloquendi relinquere, nam & invitus perdit quisq; id, quod elegerat verbum: nec facilè reponit aliud, dum id quod scripserat, quærit. Oblivio autem unius verbi, aut deformem hæsitationem habet, aut etiam silentium inducit. In oratione autem longiore ediscenda, hoc primum in-

num invenio præceptum: ut per partes discatur. Laborat enim maximo onere: sed partes hæ sint non perexiguæ: alioquin nimis multæ erunt: & eam distinguent, atque concident. Nec utiq; certum imperaverim modum: sed maximè ut quisq; finietur locus: ne fortè tam sit numerosus, ut ipse quoque dividi debeat. Dandi sunt certi quidam termini, ut contextum verborũ, qui difficilimus est, continuet crebra meditatio. Partes deindè ipsas repetitas ordo conjungat. Non est inutile his quæ difficiliùs hæserint aliquas apponere notas, & eas sæpè repetere: quarum recordatio commoveat, & quasi excitet memoriam. Nemo enim ferè est tam infelix, ut quod cuiq; loco signum destinârit, nesciat: aut si erit tardus ad hoc, eo quoq; adhuc remedio utatur, ut ipsæ excitent notæ. Hinc est in ea arte utile attendere signa ad eos qui excederint sensus, anchoram, si de nave dicendum: Spiculum si de prælio. Multum enim signa faciunt, & ex alia memoria venit alia: ut cum translatus annulus vel alligatus commoveat quare id fecerimus. Illud neminem non juvabit, eisdem quibus scripserit chartis edisce re. Sequitur enim vestigiis quibusdam memoria: & velut oculis intuetur, non paginas modo,

sed versus propè ipsos: qui tum dicit, similis legenti. Iam verò si litura, aut adjectio, aut mutatio aliqua interveniat, signa sunt, quæ intuentes errare non possumus. Optimum autem memoriæ mandandæ tempus est, ut noctu aut antequam somnum capias, ediscas: quoniam nusquam avocatur intentio: & post illam cogitationem vel lectionem, nihil amplius animo cogitamus, & statim capimus quietem. Sunt qui dicant ante somnum id, quod quis memoriæ tradere cupit semel, bis, aut ter attentè legendum esse, & manè idem repetendum. Sic enim quasi nullo labore adhibito, satis firmiter impressum fore. Mirum namq; creditu est, nec improptu ratio, quantum nox interposita firmitatis adferat memoriæ. Luculentum quoque memoriæ exercendæ exemplum Cicero nobis reliquit in Dialo: de Senectute, referens de Catone illo Majore: solitum illum commemorare vesperi, quod quotidiè dixerat, audierat, & legerat. Postremò valdè prodest ad multa retinenda: ex viva voce si lectionem diligenter prævideamus, dicentem attentissimè ascultemus: studiosè retractemus audita. Quod quanti momenti sit, multorum testimonio constat: & experientia certissima rerum magistra comprobabit.

Sequuntur

Sequuntur aliquot sententiæ de quibus supra in Reg: 15. fol: 154. dictum est.

PRinceps sine literis quasi navis est sine remige, & volucris sine pennis.

Vt in mare flumina, sic in magnas urbes vitia influunt.

Tyrannorum versutia pia fraude diluenda est.

Obedientia virtutum omnium mater & custos.

Nulla Reipublicæ administratio proderit, nisi verus Deus colatur.

Servire Deo libertas est: liber autem est quem conscientia non accusat.

Invia virtuti nulla est via.

Nobilis equus virgę umbrâ regitur, ignavus ne calcari quidem.

Magna qui sectatur, mediocria consequitur.

Satius est unum aliquid insigniter facere, quàm plura mediocriter.

In rebus minimis sæpè res magnæ deprehenduntur.

Dignitatibus viri dandi sunt, non dignitates viris.

Facilè deviat Iustitiâ, qui non Deum, sed homines pertimescit.

Amor & odium & propriũ commodũ faciunt

ciunt sæpè judicem non agnoscere veritatem.

Multa concedunt leges, quæ divinâ justitiâ puniuntur.

Quantò mens citra terrena plus satagit, tantò in cœlestibus minùs videt.

Satiùs est nihil statui, quàm benè ordinata non observari.

Boni duces bonos creant milites, ut pede inoffenso ipsos sequantur.

Res eximii præmii est, inter malos laudabiliter conversari.

Mente rectè uti non possumus multo cibo & potione completi.

Est hominum naturæ maximè inimica crudelitas.

Mens perpetrati sceleris conscia, nunquam quieta est, semper timet ac malum suspicatur.

Indecens est quod Sol inveniat Christianum jacentem in lecto.

Malorum improbitate depressa, veritas tandem emergit.

Facilè contemnit omnia qui semper cogitat se moniturum.

Rex debet se habere ad subditos, sicuti pastor ad oves.

Principes legem DEI operum suorum ducem habeant. Sapien-

Sapientia victrix singula vitia eradicat, & singulas inserit virtutes.

Nihil prodest sanitas in superficie corporis, si vulnus animæ intrinsecus latet.

Beata mors quæ ad vitam æternam aditum facit.

In via DEI non progredi, regredi est.

Bona clarescunt, cum fuerint malis comparata.

Fide Deo, divina beat promissio: fallax spes hominum, quamvis splendida: fide Deo.

Tormenta à notis illata plus cruciant, quàm ab ignotis.

Quò se fortuna vertit, eò se plerunq; hominum favor inclinat.

Crudelitas & perfidia deterrent sæpè à deditione & reconciliatione.

Quisnam sagittarius artis suæ ita peritus est, ut non aliquando aberret à scopo.

Sobrietas mater est sanitatis & diligentiæ, diligentia autem divitiarum.

Similes sunt legès aranearum telis quas muscæ validiores perrumpunt: imbecilliores tantùm irretitæ tenentur.

Non potest in eo succus esse diuturnitatis quod nimis celeriter maturitatem est consecutum.

Pacis comes est, otiiq; socia, & jam benè constitutæ civitatis quasi alumna quædam, eloquentia.

Avaritia senilis vituperanda est maximè: absurdum est enim, quò minùs restat vitæ, eò plus viatici quærere.

Si mundi gloria multos ad res magnas & arduas forti animo gerendas incitavit, quantò magis debet beatitudo vera & æterna?

Trita est pietatis via, quam ipse calcavit Christus, & ejus Apostoli, sanctiq́ue DEI omnes: & nobis ad eam calcar præbent & exstimulant.

DE MEMORIA ARTIFICIOSA LIBELLVS.

Auctore

JOANNE AUSTRIACO.

Omnibus cujuscunq; status aut conditionis hominibus, præcipuè verò literarum studiosis, Oratoribus, Theologis, Iurisperitis, atq; ijs, qui ad Doctoratus apicem ascendere satagunt, maximè utilis & necessarius.

TRACTATUS I. DE LOCIS.

CAPVT I.

De locis Majoribus.

ARtificialis memoria duabus comparatur rebus, locis & figuris. Nam ut calamo scribens, chartâ, ut loco, literis ut figuris & signis utitur: Sic

is, qui memoriâ quid artificiali discit, aut aliis tradit, locos ùt chartam, figuras ùt literas adhibet. De his igitur duabus partibus sermonem instituam. Prius autem quàm ad figuras, ùt partem longè difficiliorem copiosiùs explicare aggrediar, de loco quid & quotuplex sit, qua fieri potest brevitate agã.

Definitio Divisio. Locus est figurarum seu imaginum sedes: locorum alii naturales, alii artificiales.

Naturales loci. Naturales dicuntur, qui à natura auctore suam traxerunt originem: horum alii majores sunt, alii minores, qui in suas quoque partes, ut mox patebit, plerunq; dividuntur.

Majores vel Elementares vel cœlestes. Majores, qui alios suo continent ambitu, in elementares & cœlestes partior, quorum hi ex sphæris cœlestibus, illi ex quatuor elementis componuntur.

Minores. Minores voco, qui majoribus proximè subjiciuntur: Sunt autem (ut ab inferioribus faciam initium) hi præcipui:

Infernus. Infernus circa terræ centrum firmatus:

Terra. Terra cujus partes duæ sunt: interior, in qua metalla, lapides, &c. Exterior ipsa terræ superficies plantis animantibusq; conspicienda.

Mare. Sunt & mari suæ partes: prima profunditas ejus luto arenoq; repleta: Deinde Medietas, in qua bestiæ marinæ, & pisces grandiores natant. Postrema, ejusdē summitas navibus fulcata, & procellis agitata.

tata. Regio aëris in tres partes præcipuas à philosophis secatur, in infimam, quam aves pervolitant, in mediam ubi nubes, pluvia, nix, fulgura, tonitrua generantur. In supremam, in qua Cometæ, & alia ejusmodi meteora collucent. Ignis quidem & planetarum quilibet unum modò locum nobis suppeditabit, ipsa galaxia notabilem. *Aer.* *Ignis.*

Hunc ordinem planetæ cum Sphœris suis sequuntur, Luna cujus Sphæram ex argento solido factam comminiscimur. Diana vestibus argenteis corruscans insidet. Mercurius vestibus colore, argento vivo simili infectis, & alatis in modum cursoris pedibus, planetæ suo radianti astabit, cujus orbis argento vivo rutilabit. Venus super planetam suum candore fulgentem erecta stabit, crispis, sparsisq; crinibus, & veste candida, Nympharum in morem ornata: Sphæram ejus ex ære confictam credes. Planetam Solis cum orbe suo aureum putato, quem Phœbus fulgenti currui insidens moderabitur. Mars armatus ardenti insidens equo, super planetam ignem ferreo suo impositum orbi erit collocatus. Iupiter in sede, ut Rex hominum atq; Deorum eburneam super sellam posita, sedebit, cujus orbis ex stanno fabricatus. Saturnus senex partim *Planetæ.*

calvus, partim canus planeta, orbi suo plumbea materia non dissimili, tremens & algens insidebit. Saturni sphæra cœlum stellatum contiguum est, in tot quot nosti sidera, locos partibile. Cœlo empyreo partes assignari possunt infinitæ fermè, sicut eas copiosissimè tractavit, vir cùm omni disciplina politus, tùm artis hujus author præstantissimus Rosellus.

CAPVT II.

De locis terrenis.

Locorũ terrenorũ Partitio. 1.

TErrenorum, pro partibus terræ variè consideratis, variæ sunt partitiones. Alium enim locum hemisphæriũ nostrum

2.

constituet, aliud Antipedum: Rursus alium oriens, alium occidens, alium meridies,

3.

alium septendrio. Deniq; est Asia, Europa, Affrica, & America.

Partium harum singulæ regiones & provincias continent, quàm plurimas, quarum partes itidem principales duæ sunt, montes & planicies. Locorum hujus quemadmodum & illorum fermè alii magni sunt, alii parvi: horum rursus minores alii, alii minimi: Magni in terrenos & aquosos distri-

Aquosi.

buuntur: Aquosis flumina, stagna, rivi, quibus adduntur fontes, subsunt. Fluminum

partes

partes sunt, littora vel ripæ, portus, arbores, salices, frutices, arena, ipsa aqua & ii, qui sub ea natant pisces. Stagnis eædem subjiciuntur partes: Rivi ripas, aquæ decursum, pisces pisciumque gurgites tenent. Fontes origine & aqua ipsa contenti sunt.

Terreni ex cultis & incultis, quorum hi saltibus, sylvis, locisque aliis sterilibus horrent: illi agris pratisque ornantur viridibus, constant saltibus, sylvis, aliisq; locis: incultis arbores, frutices, herbæ, omnisq; generis animantes & horum latibula, nidiq; insunt: quemadmodum agris, arva & horti, quibus itidem arbores, herbæq; consitæ, flores, frumenta, præterea homines & animalia mansueta seu domestica subjiciuntur. Prata quoque, gramine, rivis, herbis & floribus rident. *Terreni.*

CAPVT III.

De partibus minorum naturalium.

ANimalium rationis expertiũ alia sunt majora, minora alia: Majora ea sunt, quæ in partes secari possunt. Et horum alia volatilia sunt alia gradientia. Volatilium majores partes seu loci sunt caput, tergum, cauda, ala utraque: gradientium quadrupedum,

drupedum, caput, tergum, cauda sive podex, latera.

Homo septimodè partitur.

Homo variè divisus præbet multos locos. 1. divisione à pede dextro lateraliter ascendendo sunt, pes inferior, tibia, femur, latus, humerus, brachium, lacertus, manus, digiti singuli, gena, auris, tempus dextrum: descendendo tempus sinistrum, auris, gena, digiti, incipiendo à minimo sicut in dextra à pollice, manus, lacertus, brachium, humerus, latus, femur, tibia, pes inferior. 2. divisione occurrunt utriusq; pedis genua, gremium, seu partes femorum anteriores, pudenda, venter, pectus, guttur, mentum cum barba, os, nasus, uterq; oculus, frons, vertex cum capillis, occiput, cervix, dorsum, nates, os sacrum, poplites. 3. continet tibiam, femur, brachium, lacertum, sive manum dextri lateris cum capite, & manum, brachium, femur, tibiam, sinistri lateris. 4. pedeq; manuq; dextra, capite, sinistra manu, pede sinistro, pectore, tergo, constat. 5. ventrem, caput, tergum parit. 6. caput, pectus, pedes, vel contra. 7. dextram, pectus, sinistramq; comprehendit. His addi possunt, aliæ pro arbitratu cujuslibet, divisiones.

Partes arborum.

Sunt & arboribus suæ partes, scilicet radices, trunci, rami, surculi, flores, folia, fructus, qui-

ctus, quibus & aves insident. Frutices & herbas majores, in radices. Montium partes naturales sunt valles cum fontibus, rivis & fluminibus ibidem repertis, medietas & cacumen: qui etiam arboribus, feris, ferarumq; speluncis, lapidibus & metallis plerunq; decorantur. *Montium.*

CAPVT IV.

De locis Artificialibus.

LOci artificiales ab arte sic dicti, in magnos, parvos & minimos distribuuntur. Magnis urbes, oppida, vici subjiciuntur. Parvi ex castellis, ex arcibus, & villis, & tabernis & hospitalibus, ex curiis, & privatis civium ædibus: præterea, ex cænobiis, templis, scholis, officinis: denique ex foris diversis, porticis aliisque locis publicis componuntur. Partes horum aliæ sunt internæ, externæ aliæ. Externas dico, quæ illis extrinsecus adjacent, ut sunt viæ publicæ, plateæ, pontes, patibula, molendina, horti, lacus, fossæ valla, mœnia, & his similia multa, tùm nominata, tùm nomine carentia. *Artificiales. Magni. Parvi.*

Ædificia particularia, ex suis quoq; partibus constituuntur, cubiculis nimirum, quo nomine mansiones & receptacula, quæcunq;

cunq; cùm hominibus familiaria, tùm pecoribus rebusq; domesticis destinata, comprehendo. Cubiculum unum quodq; in suas partes, scilicet in quatuor parietes vel in angulos potiùs, & in medium, (quod omitti à pleriſq; solet) diduco quæ si columnis, imaginibus ablutoriis, cistis armariis, scamnis, fornacibus, gladiis aliisq; rebus domesticis ornentur, distinguanturque, tot loca subministrabunt, quot res ejusmodi locum à loco discernentes, in eis repertæ fuerint.

Cubiculum.

Officinæ artificũ præter angulos quatuor, multa loca alia variis suis instrumentis effecta, distinctaq; nobis præbent. Quæ quidem instrumenta ob id quoq; notatu dignissima sunt, quod figurarum copiam, & supellectilem nobis non exiguam suppeditent.

Officinæ.

Templa cæmiteriis, portis, baptisteriis, aris, sepulchris, suggestis, sellis variis, columnis, epitaphiis, organis aliisq; insignibus venusta sunt. Sacella totidem loca, quot habent angulos, præbent, quibus altaria, mediumque, & illa quæ angulis interjecta sunt, adjiciuntur. Altaria gradibus, candelabris, vexillis, imaginibus, calicibus, libris, pulpitis & aliis rebus sæpè adornata notabilia redduntur. Notandum autem est, harum rerum pro locis tot una formatione sumendas, quot

Templa.

Sacella.

Altaria.

das, quot negotio noſtro ſuffecerint, aut memoriâ tueri ſine perturbatione potuerint.

CAPVT V.

De ordine locorum uniformi & difformi.

PRiuſquam de locis aliis agamus, locorum ordinem, à quo illorum maximè dependet cognitio, proponam. Notandum autem in primis eſt, naturales locos, quos ab artificialibus ſupra diſtinxi, cum his quo ad ordinē plerunq; confundi ac permiſceri. Ordo eſt certa locorum diſpoſitio, ſucceſſioq;, & eſt triplex, naturalis, fortuitus, & voluntarius. Naturalis ille dicitur, quem à primo ortu ſuo nacta ſunt loca, ſive naturalia ea ſint, ſive artificialia. Fortuitus quem caſu aut electione libera conſequuntur, ut ſi lapis, truncus, vel aliud quid caſu poſitum, in locorum numerum ac ordinem referantur. Voluntarium appello eum, quem nos conſilio & voluntate, rei commoditatem ſeu qualitatē conſiderantes, eligimus. Horum alius, uniformis eſt, qui reperitur in rebus ejuſdem naturæ & ſpeciei, alius multiformis, qui eſt inter res diverſæ naturæ. His obſervatis ad ordinem locorum devenio.

Ordo triplex.

Naturalis.

Fortuitus.

Voluntarius

Vniformis.

Ac in

Ac in primis ut à maximis incipiam, loci elementares, & cœlestes, eum inter se tenent ordinem, quem in eorum enumeratione capite primo observavi. Neq; de magnorum id est regionum, & provinciarum dispositione quidquam hîc lector expectabit, cùm ea ex tabulis geographicis, cosmographicisq; percipit meliùs, quàm hoc loco tradi possit, quibus hoc adjungendum, & tanquam conditio generalis & primaria locis omnibus conveniens diligenter advertendum, ut à parte sinistra incipientes, dextram versus in illis colligendis, usurpandisque, procedamus, sive id rectâ fiat lineâ, ut in locis his majoribus plerunq;, sive circulari, ut in aliis sæpè evenit. Idem esto judicium de serie maris, stagnorum, fluviorũ, montium, urbium, uniformi, ex tabulis etiam absque magno labore colligenda. Ædificiorum autem arborum, pratorum & aliorum minorum locorum ordinationem monstrabit, accurata eorum collustratio, atq; contemplatio.

Ad multiformem rerum ordinem cognoscendum, major omninò labor exigitur: nam licet majorum locorum tabulæ nobis cosmographiæ præbeant cognitionem, tamen de minoribus in illis contentis,

sive

sive naturales illi sint, sive artificiales, nullam faciunt vel obscuram prorsusrationem. Quare perfectam eorum notitiam nisi suamet lustratione comparatam habere potest nemo. Generaliter autem loquendo de dispositione illorum, hoc observandumest, ut eo quo aut inter se, & cum majoribus conjuncti sunt ordine, in usu eorum procedamus. Exempla hujus rei, quia prolixa nimis sunt, prætermitto, & viva potius voce quàm scriptis mihi brevitatem sectanti explicanda, & declaranda censui.

CAPVT VI.

De partibus cubiculorum, & eorundem ordine:

CVm domum intras, hîc & cubiculorum & locorum in his constitutorum ordo servandus est, ut captum à latere sinistro exordium dextrum versus perducas. Nam cum talis in locis scribendi ratio, à mente nostra facta, illi qua manus in charta utitur non dissimilis, ad ea nos usus & exercitatio calami reddidit promptiores.

Cubiculum quodvis loca per se confert, juxta numerum angulorum quatuor, inter quos sinistra tuæ occurrens primus, locum *Cubiculorum ordo.*

primum dabit, tres sequentes locum secundum, tertium & quartum. His adjunges quę angulis interjecta sunt, aliquam constituunt differentiam, ut sunt mensa, scamnum, fornax & alia, quibus cubicula plerunq; ornari expoliriq́ue supra diximus, quorum ordinem quem inter se sortita sunt, si tenueris non locorum tantùm numerum angulis, sed formarum etiam defectum compensabis. Ex ultimo primi cubiculi loco ad primum sequentis te conferes, in quo si loca, ut in primo dispositа perpendens ad tertium, ex hoc in quartum & ultra donec ad postremum veneris progredière. Quomodo similі perlustrato, primò laquearii superioris, petes, ubi scalas & quicquid præterea cubiculis notabile interjectum inveneris, facultati locorum adjunges.

Cubiculis omnibus primæ alicujus plateæ domus collustratis, locisq́; singulis in ea repertis, diligenter annotatis, sequentem intrabis, ex hac in tertiam, ex tertia in quartam te recipies: donec ad extremam plateæ lateris siniſtri perveneris domũ, qua egressus, domum ejusdem plateæ à latere dextro, postremam ædificatam intrabis, & te toto illo latere dextro geres sicut & siniſtro, usq; dum ad primam ejusdem primæ omnium situ opposito respondentem veneris, pariterq;

terq; lustraveris. Quæ in officinis tibi circumeunti, se efferentibus, instrumenta, merceſq;, quibus referta sunt, extant, calamo notabis, vel menti firmiter infiges, quæ quidem non omnia tibi retinenda persuadebis, sed ea tantùm, quæ ad locorum tibi sufficientiũ discrimina facienda satis esse judicabis, ex præcipuis, & illustrioribus omissis cæteris colliges, collectaq; observabis.

Templum subiturus, cœmiterium quid tibi præbeat utilitatis inprimis considera, hinc portam, per quam templum inis, pro loco primo sumes, mox quæ in pariete sinistro, vel penes eundem reperiuntur notabilia, ut sunt sedes, baptisterium, altaria, & alia quæ supra enumeravi rectè disposita circumeundo templum annotabis, donec ad locum dextri lateris ultimum sinistri primo respondentem descenderis, ex quo columnarum partem sinistram aggredere, quibus statuis suis, epitaphiis, aris diligenter distinctis ordine notatis, per januam chori si huic lateri succesſerit, ingredere, ibique sedibus, pulpitis, libris, pro locorum distinctionibus observatis dextram ejusdẽ partem cum sequentibus lateris dextri columnis simili modo annotato. Tunc quid medietas, quid superiores templi partes, ùt chorus & organũ tibi conducibile contineant videbis. *Templi observatio.*

Continua seu collatera, templi ædificia ut sacrarium, ut ambitū, dictis adjicere poteris, ita ut loco januæ per quam ad structuram talem patet aditus, ulteriore relicto, ex citeriore in angulum, verbi gratiâ ambitus te primum conferas, ex hoc in secundum, tertium, quartum, areâ illius si placeat mediâ adjectâ, ex qua in templum ad eum quem ultra januam ambitus reliquisti locum, te recipies, dictoq; ante modo procedes, & hoc de cubiculis continuis aliis similiter sentiendum.

CAPVT VII.

De locis Voluntariis.

VOluntarios dixi locos ex cæteris, voluntate consilioque selectos, quod fit, cum qui principales sunt, vel maximè notabiles, vel reliquis tandem institutę nostræ materiæ longè commodiores, sive ejusdem, sive diversæ naturæ fuerint, excerpimus reliquis, ut tum minimè necessariis omissis, verbi gratia: de sacris rebus dicturus, templi loca, quot sibi sufficere putat, eaq; inter cæterea splendidiora notioraq; desumet: sic de regionibus regiones, de urbibus urbes, de arboribus vel floribus hortos eliget, eodem modo de opificibus sermonem habiturus,

Rebus commodiß mi loci eligendi.

turus, eorum, de quibus agit, officinas, licet maximè inter se distantes sibi ob oculos statuet: de quibus lectori summoperè notandum est, ut in urbe, in qua moratur, vel moratus aliquando est, opifices 16. 18. aut 20. juxta literas alphabeti dispositos conquirat; verbi gratia: Primum aurifabrum, vel alium sub A. litera positum: secundum balneatorem: tertium coriarium, & sic deinceps, quot habere poterit vel necessarios sibi arbitrabitur ordine alphabetico deligat, qui quidem quò sibi fuerint viciniores, eò quoq; instituto nostro aptiores, cum memoris ab unius ad ulterius officinam faciliùs transire possit. Quod si in alphabeti ordinem ac seriem digestos non inveneris, dispositionem quam habent successivam ac realem notabis, nihil de alphabeti ordine cogitans, nec refert multùm, in unavé, duabus, an pluribus habitent plateis, si ut officinarum, ita etiam harum retinueris dispositionem.

Templa cum ea, qua condita sunt digestione studiosè abs te connotari hortor & volo. Nam cum loca sunt publica, illorumque cuivis ferè patent aditus, præter quam quòd insignia, quibus ornantur, multa variaq; nobis exhibeant utilissima, cæteris annotari faciliùs possunt.

CAPVT VIII.

De locis mistis.

Loci misti quid?

HActenus de locis puris, supereſt de mistis, quid dicam. Loci misti partim reales, partim sunt imaginari, ut si in domo quadam magna, vel duabus, artificum officinas juxta ordinem alphabeti mente disponamus, ita ut artifices propriis habitibus induti, suisque instrumentis instructi strenuè laborent quorum ordinem obſervabis,

Ordo mistorum locorũ.

primùm depingendo colore nigro literam supra januam initialem opificis, idque vel mente, vel quod melius est penicillo 2. artificem quem nosti in tali cubiculo firmiter animo collocando, 3. instrumentorũ illius aliquot supra januam ponendo: 4. constituendo ipsum, vel servum ejus sub janua laborantem. Prætereà officinas ejusmodi in unius vel duorum monasteriorum cellulis, (quibus propter earum inter se similitudinẽ vix utimur) optimè dispones. Denique in una longa platea, juxta ordinẽ, quem supra præscripsi. Eodem res modo se habet cum locos aliis minoribus, ut cum arboribus, hominibus, animalibus terrenis & aëreis, quæ ad loca capaciora, operâ mentis non sine magno emolumento transferuntur. Vt si in

cubiculi

cubiculi cujusdam, angulo primo, arborem sub litera A, verbi gratia, abietem comprehensam mente figas, sub hac animal ejusdem literæ, ut asinum; super arborem literæ ejusdem avem scil. anserem. In angulo proximo arborem. B. subjectum similiter animal & avem collocabis, & sic deinceps: in quibus memorandis observabis, ut animal primũ, deinde arborem, demum avem accipias.

CAPVT IX.

De locis collateralibus.

LOcis his mistis adjungendi videntur & ii, quos collaterales argumentationibus & auctorũ citationibus maximè deservientes, appellamus. Pro his eligenda domus est, cujus cubicula parietibus longioribus & altioribus sunt constructa, in quibus circulares figuras quaternas in formá crucis dispositas formabis. Hæ in una cubiculi parte, in pariete scilicet hoc ordine depingantur, ut tres sint superiores, tres mediæ, totidem infimæ, æquali planè spacio inter se distãt. Quod si tres ordines sumere nõ placet duos accipe, vel unicũ tantùm, circulosq; pro materiæ diversitate vel auge, vel minue. Pro his homines *Ordo collateralium.*

mines duos, tres vel plures substituere, pro ut circa finem declarabitur, non erit incongruum. Hominis enim partes, ad varia commemoranda, sunt omnium ferè aptissimæ. De cæterorum locorum usu notandum hoc est, ut rei maximè proprios deligamus. Cæterùm ignorandum non est, cubicula, & alia loca minora rebus omnibus accommodari posse, proindeque sæpiùs, quàm majora esse usurpanda.

CAPVT X.

De locorum conditionibus.

REstat locorum proprietates seu conditiones assignare, quarũ multæ quidem & à variis variæ sunt traditæ. Sed omissis aliis quæ utiliores magisq; necessariæ videbuntur adferam. 1. Vt loca quàm plurima nobis conquiramus, quod commodè faciet is, qui hactenus de locis à me dicta diligenter consideraverit. 2. Vt habent quandam ad res commemorandas similitudinem licet enim rebus omnibus loca ferè omnia possint accommodari, tamen ut ea quæ videntur rei accommodatiores deligamus magnoperè studendum est. 3. Oculis, mente, vel imaginatione sæpius perlustranda sunt,

Octo requisita locorũ.

da sunt, ut nobis fiant quam notissima. 4. Ordo illorum de quo dixi etiam atq; etiam observandus est. 5. Loci inter se diversi sint oportet. Nam cùm erroris mater similitudo sit, diversitate illorum hic vitandus est. 6. Loci præter minimos omnes, quò magis vicini continuiq; sunt eò & præstantiores: minimorum verò 5. vel 6. pedum sit inter se distantia, nisi rebus domesticis ornata fuerint cubicula. 7. Loci semel electi, & dispositi, neq; situ, neque figura mutari debent. 8. Loci deniq: sint, alti, clari, solitarii, & à rebus nobis inutilibus vacui.

TRACTATUS II.
DE DICTIONIBVS rerum formatarum.

CAPVT I.

De divisione dictionum.

DIctionum aliæ significant, aliæ non, quarum illæ à nobis intelliguntur, vel omnes, vel nullæ: aut partim nobis notæ sunt, partim ignotæ. Hæ ad significationis expertes, cùm eadem sit

utrinque memorandi ratio, perdueuntur Earum autem quę significant, aliæ sunt simplices, conjunctæ aliæ: illæ per se, hæ per accidens ad partes Grammatices pertinent. Significantium insuper rem aliquam (quo nomine ens omninò complector omne) quædam sunt rerum formatarum per se, quædam per accidens. Res per se formata dicitur, quæ speciem oculis suapte natura notabilem imprimit, vel facilè, ut equus, vel difficilè ut nox. Per accidens formatam dico, quæ suam quidem speciem nobis offert, non tamen per se, sed per aliquod sui, vel per eam quam mente & industria humana accepit formam, ut si pro sono, campana, pro angelo, pictura ejus sumatur. Pono dictiones rem aliquam designantes, ad nomen & verbum directè revoco, ad participium indirectè, illis rem nullam denotantibus cæteris orationis partibus, quarum cum vocibus non significantibus eadem formandi ratio est adjectis, dictiones memoriæ formis seu figuris expressè mandantur. Figura est nota, ejus quod recordari volumus in loco posita: estq; duplex, naturalis, & artificialis: rursus alia perfecta sive immeditata, alia imperfecta seu mediata. Perfecta ea est, quæ rem quam repræsentat, immediatè significat, ut

Res formata per se.

Per accidens

Quid Figura? Quotuplex?

cat, ut campanæ forma, ipsam campanam. Imperfecta, quæ aliam ab hac infert, ut eadem sonum. Sed ut ordinem in hac etiam doctrina certum teneamus, dicendum erit primùm de dictionibus simplicibus, rem tùm perfectè, tùm imperfectè significantibus. Deinde de significatione, privatis & incognitis: demùm de conjunctis. Præterea dictiones rerum significantes, cum à duabus orationis partibus contineantur, nomine scil. & verbo, de illo priùs, de hoc posteriùs præsenti tractatu agam. Μεσιμὸς Tractatio.

CAPVT II.

De rebus per se formatis: Item de iis, quæ magnitudine immodica, vel exigua valdè sunt præditæ,

REm per se formatam appellavi, quæ suam ipsam speciem oculis subjiciat, quæ duplex est, naturalis & artificialis: sub illa substantiæ corporeæ ferè omnes, cum accidentibus multis continentur, ut si pro lapide, pyro, bove, homine, ponantur in loco lapis, pyrus, bos, homo, mentis beneficio: sub hac scamnum, tunica, furca, liber, dolium, & alia penè innumera humano ingenio ac arte facta: quæ si

forma

forma notabili, quantitateq; debita sint expressa, per se ipsa omnia formantur. Inter prædicta reperiuntur quædam magnitudinis tantæ, ut loca eorum capacia frequenter non sint: quædam autem ob parvitatem suam nec ad locum aptitudinem habent, non ad memoriam excitandá, vim & energiam, illius generis sunt, cœlum, terra, urbs: hujus musca, formica, pulex, &c. In istis igitur formandis. 1. Curandum est, ut figuris sculptis aut pictis exprimantur, ut Sol, Luna, per Solis Lunævé simulacrum, cæstro, vel penicillo factum. 2. Si partes habent homogeneas per partem sui aliquam exhibentur, ut terra per terræ, aqua per aquæ partem. 3. Ingenii nostri acie ut parva concipienda locisq; aptanda sunt, ut sylva parva, mons parvus.

Rerum magnitudo quo modo tenuanda.

Res quantitatis exiguæ locis attribuuntur: 1. Multitudine sua, ut formica formicarũ catervâ, apis examine apum. 2. Actione ab homine cum iisdem exhibita, ut apis per hominẽ mel, iis aculeis repugnantibus auferentem, si muscas stabello servus abiget, pulices vetula capiet & necabit. 3. Magnitudine animo iisdem attributa ut si muscam instar elephantis, pediculum instar vituli fingamus esse.

CAPVT

CAPVT III.

De personis cœlestibus.

PErsonarum aliæ sunt cœlestes, aliæ infernales, & terrestres aliæ, & harum quædam ad personas privatas, quædam ad publicas referuntur. De cœlestium igitur personarum notis sic accipe: S S. Trias trina pulcherrima, jucundissimaq; facie mirum in modum erit decorata. Pater quidem venerandi senis in aureo solio sedentis, Filius speciosissimâ viri humanâ naturâ vestiti, Spiritus sanctus columbæ candidissimæ. Seraphin thronum Dei ordine duplici senis personis alas habentes expandentibus utrinque constante, circundant. Cherubin scilicet thronum Christi, coronâ quasi cingentes, vestibus aureis, aureisq; coronis fulgent. Throni albis vestibus, rubeis maculis distinctis, ensibus & lanceis rutilantibus, in thronis judices sedentes effinguntur. Dominationibus coronis aureis Chrysolyto fulgentibus, ornatis, lyra, psalterium, cithara, tympanum & alia instrumenta musica tribuuntur. Virtutes vestibus subnigris, sphærisque cœlestibus seu astronomicis ornantur. Potestates, pallidis vestibus, indutis morbis omnis generis curandis impediti sunt.

Trinitas.

Seraphin.

Cherubin.

Throni.

Dominationes.

Virtutes.

Principatus. sunt. Principatus, regna, provinciasq; quibus præsunt, in chartis depictas tenent, &
Angeli. demonstrant. Ex archangelis, & angelis erit Michael cum armis, Gabriel cum libro, Ra-
Apostoli. phael cum unguento. Ex Apostolis D. Petrus cum clavibus, Paulus cum ense & libro,
Patriarchæ. &c. Inter Patriarchas Abraham cum gladio magno: Isaac cum fasce lignorum & ariete: Iacob cum scalis. Nöe cum arca lignea, Moses cum tabulis lapideis & fulgentibus cornibus. Samson cum columnis, cum asini maxilla, cum valuis, cum leone interfecto,
Prophetæ. Ex Prophetis astat cultu regio & psalterio David. Helias zonâ indutus pelliceâ in curru sedet igneo. Heliseus caluus cum pallio baculoq;. Samuel grandævus, cum olei vasculo. Ieremias cum lapidibus, Daniel cum
Martyres. leonibus. Amos cum veste. Ex Martyribus S. Stephanus cum lapidibus. Laurentius cum crate ferrea. Clemens cum anchora. Se-
Confessores. bastianus cum sagittis. Ex confessoribus, Nicolaus cum tribus malsis aureis: Martinus çquitatis gladio chlamydis partẽ rescindens: Hieronymus rubris vestibus, nudo pectore, saxoq;, ornantur. His & virgines adjicies, S. Catharinam martyrem studiosorum patronam cum votis. Agnetam cum agno. Ceciliam cum organis, Margaretam

cum

cum dracone. Dorotheam cum ſportula floribus plena. Cæterùm Sanctorum figuras ex hiſtoriarum lectione formabis.

CAPVT IV.

De perſonis infernalibus.

DÆmones, qui formâ pinguntur, ex figuris paſsim habitis cognoſcere ſatis promptum eſt: quapropter de iis nihil hic expectabit lector. His addere potius, quàm perſonis divinis placet Deorum, Dearumq; gentilium ſimulacra, à ſupremo illorum Deo Iove incipiendo. Hic aquila, ſceptro, fulmine, quercu ſuperbus eſt. Saturnus falce & infante. Mars lancea. Mercurius ala & galero. Appollo phœnice curru aureo, Sole: item corvo & cygno: Lauro & palma, lyra arcu, ſagitta. Pluto, cupreſſo inſoleſcit. Hercules clava, leonisq; pelle. Bacchus hederâ, viteq;. Palamedes gruibus. Priapus falce. Pan pino, cornibus, capro. Hymen ſervis & tædis. Cupido alis, arcu, ſagittisq; flammeis. Iunoni ſuperbiſsimæ, pavo, qui etiam ipſe ſuperbus eſt, tribuitur. Veneri columba, cygnus. Minervæ noctua haſta & oliva. Cybeli pinus. Dianæ pharetra & arcus. Napæis flores. Palladi fœnum. Gratiis vinculum aureum. Nymphis cymba & arundines

Iupiter.
Saturnus.
Mars.
Mercurius.
Apollo.
Sol.
Pluto.
Bacchus.
Priapus.
Pan.
Hymen.
Cupido.
Iuno.
Venus.
Minerva.
Cybele.
Diana, &c.

arundines: Suadæ psittacus. Camœnis instrumenta Musica. Cereri fruges. Parcis lana. Eridi canes. Erynni anguis. Alecto Gorgonium caput. Orcadibus vibices. Satyris cornua capræ.

CAPVT V.

De gentibus urbibus & personis aliis publicis.

Quomodo gentes representantur.

GEntes seu provinciæ, regna & urbes, suis quæque insignibus impositis ab hominibus ratione quadam vel nulla dictis, repræsentantur, ut Germania, vel Germani frameâ, Galli liliis, Hispani lanceâ, Angli leone & rosâ, Persę arcu & pharetrâ, Scythæ fulmine, Macedones Sarissâ, Romani aquilâ, vel pila, Sue Phrygii; Colonienses tribus coronis: Lubecenses aquilâ duplicatâ. Florentini leone. 2. Exprimuntur studio illo & exercitio, quo aliquando floruerunt, ut Ægyptii astrologiâ, Thusci auspicio, Poloni equitatus gloriâ, Phœnices literarum inventione, Germani typographiæ, tormentorumq; bellicorum, Noribergenses instrumentis artificum: sic alii gladiis, alii horologiis, alii rebus alii conficiendis insignes

Provinciæ. sunt. Formantur denique tùm provinciæ, tùm

tùm urbes bonis & opibus quibus abundant, ut Anglia plumbo, Vngaria cupro, Florentina purpurâ, Ecodium carbonibus celebre est. His præceptis animadversis, populos, regiones, urbesq; alias formare ei qui signa ejusmodi ex illarum chronicis collegerit, atq; annotaverit, facile admodum erit. Personæ officia gerentes per vestes & insignia, cuiq; ut propria juncta formantur: ut Papa coronâ triplici & cruce, Cardinalis rubro, latoq; tegmine, Archiepiscopus coronâ duplici, Episcopus pedo, mitroque, Abbas cruce & infula, Canonicus pelliceo tegmine, Monachus cucullâ, Concionator stolâ, libroq;, Ædituus clavium fasciculo & scuticâ. Sic Imperator coronâ tectâ, globoq; imperiali ornatur. Rex vel Regina coronâ regiâ, sceptroque. Nobilis, insigni quodam nobilibus familiari, consul fascibus, & securi, judex baculo & ense, Senator togâ, Miles armis, Lictor loris, malleoque ferreo.

Personæ Ecclesiastica.

Seculares.

Artifices præterea modis exprimuntur quatuor. 1. Iis quibus utuntur instrumentis ut sutor formulâ, sartor fasce, forfice, ulnâ. ve, Molitor lapide molari: Sic textorem radius, tonsorem forpex, Piscatorem rete prodit. 2. Subjecta prodit materia, ut aurifaber

Artifices 4. modis exprimuntur.

auro, Coriarius pelle, Sutor corio, Sartor panno, mercator mercibus. 3. Per effectus suos iisdem manifestantur, ut pistor per panem, Sutor per calceos, Sartor per vestes, vietor per dolia. 4. Denique per habitus consuetos, ut venatori vestis viridis familiaris est.

CAPVT VI.

De Personis Privatis.

PErsonæ privatę tribus modis formantur. 1. Per se ipsæ. 2. Per suas effigies. 3. Per
1. effigiem similem. Primo id modo fit, quando personæ à facie notæ in locis ponuntur, ut si Petrus, quem novi à me ipse in locum,
2. mentis beneficio collocetur. Secundo modo contigit, si eosdem suis imaginibus solis à me visis exprimam, ut Rudolphum Imperatorem imagine ejus à me visa. Hic modus personis cœlestibus, & aliis supra positis proprius est; quia tales vel per imaginem, vel per scripta ex quibus illæ formari solent, nobis tantum exhibentur.

3. Ad tertium membrum pertinent personæ, quarum formam neq; à natura datam, neq; ab arte expressam unquam vidimus. Hæ per alias ejusdem nominis, officii, dignitatis, habitus, ob oculos ponuntur: ut Hen-

ricus

ricus Galliarum Rex, per regem alium à me visum. Imperator Turcarum, per Rudolphum Imperatorem, vel per alium habitu imperatorio decoratum, mihiq; notum, cui si idem cum illo nomen fuerit, negotium nostrum melius habebit, cùm nos & nominis, & officii commonefaciant. Et hæc de personis dicta sufficiant. Nunc modos quibus unum pro altero ponitur, substantiis cum accidentibus communes, qua fieri potest perspicuitate aperiam. Sunt autem hi, similitudo, scriptura hieroglyphica, signa, tum effecta, causæ, simulacra; præterea subjecta, relata, continens, locus, genus, species, de quibus ordine tractabo.

Modi quibus unum pro altero ponitur.

CAPVT VII.

De similitudine.

DE similitudine dicturus, quot modis unum pro altero propter eorum inter se similitudinem ponatur, nunc ostendam. Similitudo est rerum diversarũ similis substantia, vel qualitas, quo nomine accidens quodvis intelligo. 1. Igitur substantia una pro alia ponitur ob quam inter se similitudinem in substantia spectatam, ut si angelus pro anima, terra pro carne, lapides, pro

Quid Similitudo.

Similitudo in substantia.

ossibus sumantur: Sic aëri humor, aquæ sanguis, igni calor naturalis assimilatur. 2. Ob
In quantitate continua. æqualitatẽ quantatis continuæ, vel discretæ adjunctis aliis quibusdam signis: ut si memoranda mihi de Goliath, Davideq; sit historia, virum magnum galeâ, hastaq; munitum pro Goliath, puerum cum funda & ba-
Discreta. culo rufum, pro Davide sumam. Discretæ, ut si utriusq; manus digiti pro decẽ præceptis sumantur, vel manus utraq; duo charitatis præcepta suggerat. 3. Nonnunquam fit
In Relatis. inter relata similitudo, vel ejusdem nominis, vel naturæ, ut inter dominum & domi-nam, vel diversi nominis, naturæq;, ut inter dominum & servum, patrem & filium, &c. Ex quibus noti pro ignotis semper assu-
In qualitatum speciebus. muntur. 4. Ostendit inter qualitatis spe-
In habitu à dispositione. cies quàm sæpissimè. Primò quidem inter habitus, vel dispositiones, duobus fit modis, propriè & impropriè. Propriè id fieri dico, quando idem duobus propriè convenit habitus, ut si pro Iulio Cæsare liberalis, pro Augusto commessator, pro Nerone vel Herode crudelis, pro Penelope pudica mulier ponantur. Impropriè hæc similitudo fit, quando habitus quidam, vel qualitas alia duobus inest, huic propriè, illi impropriè, ob quam superbum leo, columba simplicem,

cem, luxurioſum porcus, inanem oſtentatorem equus vel pavo nobis exhibet. 2. Huc pertinent qui artibus & ſcientiis iiſdem ſunt præditi: nam Ariſtotelem Philoſophus inſignis, Bartolum Iuriſperitus, Auguſtinum Theologus, Galenum medicus, Ciceronem orator commodè repræſentabit,

Notandum eſt, authores ejuſmodi ſuis etiam operibus, vel inſtrumentis quibus utuntur, notari poſſe, ut Ptolomæum aſtrolabio, Ariſtotelem logicorum libro tibi planè cognito. 3. Habitibus deniq; animæ adjiciuntur virtutes, & vitia in rebus aliis qualitatibus ſuis naturalibus expreſſa, ut in nardo humilitas, in lilio virginitas, in balſamo gratia, in Smaragdo ſpes, &c. 4. Idem in habitibus corporis obſervatur, ubi pro Niſo vel Euriolo pugil, pro Hercule vel Achille fortis non ineptè collocabitur. 5. Ob potentiam naturalem aut impotentiam ſimilitudo quoque accidit, propriè quidem inter oblivioſam & Meſſalam, qui etiam nominis ſui, vi & iniuria morbi fuerat oblitus, inter memoriâ præſtantem, & Mithridatem, Senecam aut Hortenſium; Impropriè verò ſaxum aut ferrum hominem durum, ciconia pium, muſcæ oblivioſum referunt; quæ ut intelligantur plenius, ii qui rerum naturales ex-

In virtutibus & vitiis.

Innatur: potentia & impotentia.

rales explicant qualitates, pervoluendi sunt libri. 6. Est in qualitatibus patibilibus affectis subinde similitudo, propter quam Jeremiæ vel Racheli lugens, misericors Abrahamo, corvus Æthiopi, absynthium aloë, cœpa allio, mel mannæ simile est. Et ut verbo rem totam complectar, cuicunq; & hujus & alterius speciei qualitatum aliqua modo excellenti & notabili admodum inest, id pro re alia simili affecta qualitatibus sumi potest. 7. Huc referuntur animalia bruta, passionibus subjecta, quæ ob id nobis homines similiter affectos ante oculos sæpè statuunt, ut lepus quia timidus hominem timidum oculis subjicit, Aper quia furiosus furiosum. 8. Vix crebrius & apertius se, se ostendit similitudo, quam in forma & figura, ob quam Sus pro apro, canis pro lupo, Gallina pro perdice sumi possunt. Et hæc de qualitatis categoria. Præterea inter similia quædam referuntur ob actionem aut passionem similem cùm propriè, tùm impropriè subjectis convenientem, propriè ut bovem humeris portans, cum Milone confertur, portas ferens cum Samsone, volans cum Icaro, vel Dædalo, manum in ignem cremandam immittens cum Scævola Romanorum adolescente fortissimo; impropriè, bufo

In Affectibus.

In actione & passione.

bufo terram devorans, cum avaro terrenis inhiante opibus, comparatur, ſicuti canis ad vomitum rediens, cum peccatore in vitia relabente. Poſtremò ſimilitudinem & habitus importat, ut ſi Rex per eum, qui coronam habet, memoriæ ſuggeratur. Virtutes etiam aliàs per virgines certis ornatas veſtibus exprimuntur, ſed impropriè, ut fides per virginem niveis veſtibus ornatam, crucemque manu ferentem: ſpes viridibus & anchora: nigris, luctus, cinereis, humilitas.

CAPVT VIII.

De ſcriptura hieroglyphica.

AD ſimilitudinem pertinere videtur, Ægyptiorum pervetus ſcribendi ratio; qui cum literis, tum nondũ inventis, carerent, rebus, & ad exprimendos animi conceptus, & ad literas dictionesq; formandas, utebantur. Quæ quidẽ ſcribendi ratio, cum utilis admodũ ſit, & huic noſtro ſtudio non admodum incommoda, res ejuſmodi per ſe ut notas nos aliarum memores reddentes, in medium proferam. Ponitur ergo juxta præſens hoc præceptum, anchora pro fideli aliquo & perfugio extremo, camelus

Aegyptii celebres in hieroglyphicis.

pro pigro tardoq; , aquila pro rege, accipiter pro prædone, canis pro custode, lepus pro timido celeriúe. Pari ratione cuculus invisum omnibus, ex aliis invidentem judicat: simia vel canis simulatorem, & parasitum, buso furem nocturnum, perdix contumeliosum, porcus lascivum, musca impudentem, columba simplicem & probum. Est præterea inconstanti fœmina, furi molitor, laborioso taurus, superbo ac generoso equus, lupus rapaci voraciq; non dissimilis. Multa deniq; alia sunt, quorum hoc pro illo capitur, ut furibundus pro impetu, hamus pro fallace, alea vel charta lusoria pro re ancipiti, pluma pro levi, plumbum pro gravi, fulmen aut sagitta pro violenta, arista pro frugifera, platanus pro sterili, malum pro auro, rosa pro grata. Sumitur etiam jugum pro servitio, scrupulus pro animi solicitudine, ensis pro tutore, palma pro victoria; Tonitru quoq; per tormentum, fulgur per pulverem tormentarium incensum, Familiam per senem, exilium per carcerem effingere non dubitabis.

CAPVT IX.

De Signis.

SIgnum est rei minus notæ indicium. Est autem

autem duplex aliud naturale, aliud artificiale. Pertinent autem ad signa. 1. Regionum, urbium, populorum, artificum, & officia gerentium insignia, de quibus supra satis dictum est: 2. Habitus, ut dives vel celebris per eum exhibitur, qui vestitu splendido est ornatus, pauper qui laceris vestib⁹ est tectus. *Habitus.* 3. Gestus & motus corporis, ut libertatem dextra pasis digitis indicat, tenacitatem sinistra digitis compressis: sic osculum pacis signum est, mutuus amplexus, concordiæ famis, sanitatis, appetitusq; avida cibi sumptio. Multæ præterea aliæ internæ affectiones gestibus exprimuntur, ut gaudium saltatione, verecundia faciei occultatione, timor membrorum trepidatione: quibus & quatuor sensuum objecta describuntur, ut sonus arrectis loquenti, vel campanæ auribus, odor naribus retractis admota rosa, pomove, sapor libato poculo, calor manu ex igne subitò retracta. Ad quartum signorum membrum instrumenta & destinata, causis vel effectis per se, vel per accidens attributa, referuntur, ut auditus signum auris est. visus oculus, odoratus nasus; balnei cucurbita, pedes fugæ, ganeonis venter, studii liber, laboris instrumenta, sicut auris fidei, memoriæq; per accidens. §. Huc characteres, *Gestus.*

quibus in signis zodiaci planetisq; annotandis utuntur Astrologi, pertinent. 6. Eòdem referuntur multa alia signa tùm naturalia, tùm voluntaria, propriè vel impropriè quid demonstrantia: & fortis per hominẽ membris grandioribus & robustioribus, vel per eum, qui clavam ingentem manu tenet, cognoscitur, quidam pertinax per eum, qui collum habet ferreum. Sic Geometria, per circinum, Astrologia, per astrolabium, discordia per dentium rasitatem, honor per sceptrum, gloria per coronam auream offertur.

CAPVT X.

De effectis.

CAusæ cùm proximæ tùm remotæ per se, vel per accidens, acceptę per effectus, materiamq; subjectam & contrà sæpè manifestantur. Hinc opus quodvis & materia suum ostendit artificem seu auctorem, laborem, diligentiam & alia ejusmodi significationis, sic ardorem sudans, sitim bibens, famem comedens exprimit, sicut pulveris vel palearum in aêre circumvolutio ventum, & fila textorem indicant. 2. Effectis adduntur actiones, quæ verè secundùm multos philosophos effecta sunt, & suarum

Actiones.

nos

nos causarum sæpè memores faciunt. His duobus præceptis, artifices artium, atque scientiarum professores, multi habitus atq; dispositiones, naturalis potentiæ & impotentiæ, declarantur: ut lapis hic attrahit ferrum, ergò magnes est: ille utitur astrolabio, ergo Astrologus est. Sic opus vel actio ingeniosa, ingeniosum, crudelem crudelis, malum mala, bonum bona prodit: actiones enim qualis quisq; sit frequenter indicant. 4. Multa alia occurrunt nomina, quorum significatio, nisi præclarè adhibeatur actio, notari commodè non potest, ut fur nisi abscisio marsupii vel furtum aliud fingatur fieri, difficulter retinebitur memoria. Sic phantasiam seu imaginationẽ is qui muscas capit, aliamvè phantasticam exercet actionem, aptè repræsentabit. Sicut confitens sacerdoti vel corpus cineribus aspergens, pœnitentiam, genas percutienti præbens, patientiam, obedientiam, vinctus ductorem sequens, quamvis duo posteriora per passionem videantur fieri.

CAPVT XI.

De causis & simulacris.

VT effecta causas indicant, sic hç illorum indicia non rarò sunt. Referuntur ad hoc

hoc præceptum ferè hæc. 1. Naturales potentiæ, quæ per subjecta, (de quibus infra) ut per causas efficientes formantur, ut risibilitas per hominem, latratus per canem. 2. Sensuum objecta, ut si sonus per campanam, clangor per tubam, fremitus per populum intelligatur. 3. Morborum genera qui herbis ut causis contrariis non incommodè notantur, de quibus Medicorum libros consule. 4. Quædam alia ad quatuor causarum genera directè vel indirectè pertinentia, ut justitia per oculum, qui illius causa conservans est, effingitur, sicut mœstitia per acerbum pomum, voluptas per dulce: Simulacris, quibus & statuas seu picturas complectimur, res multas efformamus, maximè illas quæ nobis visæ nunquã sunt, sive figuras illæ habeant, ut Imperator, sive nullas, ut spiritus. Ad hoc præceptum pertinent. 1. Personæ cœlestes. 2. Infernales. 3. Deorum Dearumq; gentilium. 4. Et quæ per picturam tantùm accepimus. 5. Res magnitudine excedentes, de quibus, antea. 6. Res quædam tùm naturales, tùm imaginariæ sub aspectum per se non cadentes, ut ventus, vento in tabulo depicto.

CAPVT

CAPVT XII.

De Subjectis.

SVbjectum est, cui inest aliud, ut color parieti. Huic subjiciuntur accidentia, & realia & intentionalia, quæ à subjectis, quorum existunt beneficio, nobis ante oculos proponuntur. Cæterùm notandum est, subjecta non quævis ad illa formanda esse assumenda, sed ea tantùm quibus vel semper, vel plerunque, vel modo quodam excellentiore conveniunt: idq; vel propriè fiat, vel impropriè. Ex accidentibus realibus huic præcepto subjecta maximè sunt, quæ ad quantitatis, vel qualitatis categorias pertinent, verbi gratiâ: ut à quantitate incipiam, magnitudinem offeret homo, bos, ovis magnitudinis excedentis: parvitatem grana papaverum, pulvis, pulex. 2. Virtutes & vitia per homines, quibus propriè conveniunt, sunt exprimenda, ut probitas, sapientia, justitia, luxuries, avaritia, &c. per eos, qui virtutibus his & vitiis sunt præditi. Hîc te lector breviter admonitum velim, ut personas, animalia, plantas, lapides, & res alias quascunque, quibus accidentia ut dixi, vel semper, vel plerunq; vel excellenter insunt, studiosè deligas, annotesque, ut hæc occurrerint

Virtutes quo modo exprimenda.

Nota.

rerint repetenda ſtatim habeas, quibus tanquam literis exprimas. Cæterùm ſi contingat, ut in virtutibus ac vitiis, artibus & ſcientiis commemorandis, perſonas his ornatas non inveneris, incertas, ut certas pones, hoc ferè ſpectans, ut ejus ſtatus ac conditionis homines eligas, quibus ejuſmodi accidentia ineſſe frequentiùs ſolent: ut pro juſto judex, pro fœneratore Iudæus vel mercator, pro honeſto ac prudente conſul abs te ſumatur. Impropriè virtutes & vitia quibuſdam animalibus ineſſe, quemadmodum & patibiles qualitates cernuntur, ut prudentia ſerpenti, feli triſtitia, ira vel magnanimitas leoni. 3. Eodē modo potentiæ naturales habent, quæ melius quàm ſubjectis propriis formari non poſſunt, ut riſus homine, latratus cane. 4. Huc pertinent & qualitates patibiles, utpote nigredo corvo, albedo cygno, dulcedo melli, amaritudo felli, modo inſunt eminentiore, hæc pro illis accipiuntur. 5. Ad hæc quæ formæ accidunt, ut pulchritudo, turpitudoque, ſubjectis itidem exprimuntur. 6. Huic denique præcepto multa alia ſubſunt, accidentia naturalia & artificialia. Subjectis quoque modo convenientia, ut ſi fugitivus per Verrem, ſolus per Phœnicem, appendix per picem, incitamentum per calcar notetur.

CAPVT XIII.

De modis cæteris.

RElata hoc loco ſpectantur quatenus ut accidentia ſubjectis quibus inhærent nituntur, quare illorum ope & reliqua formantur. Continens pro contento, ſæpè quoq; ponitur, ut dolium pro vino, pyxis unguentaria pro unguento, atramentaria pro atramento; quin & locus locatum denotat, ut focus vel caminus ignem. Formatur præterea per genus ſpecies, adjunctis differentiis quibuſcunq; : ut cupreſſus per arborem altam & viventem : balena per piſcem magnum : Achates per lapillum nigrum albis diſtinctum venis, & ſimilia in quibus genere noto ſpecies ignota eſt. Idem in rebus non naturalibus obſervatur; ut cænæ te convivium ad candelas ſumptum, vel epulis apponi tum maximè ſolitis inſtructum admonebit : Contra genera ſæpè produnt ſpecies, ut canis aut bos, vel potius canis cum bove animal, proprietatē naturalem, facultatem riſibile, vel ridens. Eodē modo ſubſtantia, quantitas & qualitas & cæteræ categoriæ formabuntur: huc deniq; reducuntur artiū vocabula ſecundæ intentionis dicta, ut genus per bipes, ſpecies per hominem, ſubjectum

jectum per substantiam, ut cygnum, prædicatum per accidens, ut albedinem efformatam. Antequam ad verbum digrediar, notandum est, synonymorum, item verborum, participiorum & nominum verbalium, præterea concretorum & abstractorum, primitivorum & derivativorum, simplicium & compositorum, ab illorum significatione non recedentium eandem esse formandi rationem: nam quid inter hæc illoq; discriminis sit naturalis sui memor officii memoriâ facilè notabit.

CAPVT XIV.

De verbis.

QVemadmodum multa suam ipsa nobis imaginem offerunt nomina, sic verborum non minima pars est, quorum figuras, ab ipsis petimus, hoc observantes, ut actiones illorum passionesq; per objecta clara, & viva, quasi imagine exprimentes, ut carpere per carpentem flores, vel poma. Sed ut certam hîc quoque viam retineamus, modos informatione verborum observandos, præsenti capite recensebo. 1. Est quo verba formandis actionibus aptissima continentur. 2. Quo verba naturales affectiones sequentia per subjecta sua repræsentantur, ut latrare

Quomodo in verbis memoriæ tradendis operandum.

latrare per canem, boare per bovem, ululare per ululam, &c. de quibus Ovid. 3. Quo verba potentiarum externarum per gestus seu per actiones objectis propriis applicandas declarantur, ut videre per oculos in colorem defixos, audire per aures, instrumento musico adhibitas, gustare per libatum poculum. 4. Potentiarum actiones internarum exprimuntur, quod bifariam fit. 1. Per gestus corporis objectis talem potentiam excitantibus admotis, ut dolere per eum, qui dolentis in morem circumtorquet corpus, vulneribus ulceribusque plenum, lugere per ante paternum funus plorantem, invidere per eum, qui vultu tristi felicitatem alterius aspicit, econtrà gaudere per eum, qui lætitiam ex calamitate alterius præsente capit. 2. Declarantur per actiones sensuum externorum, ut conjicere per odorari, scire per videre, tenere quid vel capere: clausis oculis quid videre vel tangere velle, pro ignorare: sed modus prior est præstantior. 5. Multa verba transitiva ad animum, vel ad res visui non subjectas relata, per visibiles sunt formanda, ut differre negotium seu propositum per instrumenti alicujus suspensionem. Pro his notanda est hæc regula, ut ex Synonymia deligantur

verba, quorum significatio propriè spectata sensibus magis patet, quale est in differre, suspendere, in summè studere movere saxũ, in domare frenum injicere, in laudare extollere, &c. quod in aliis multis observatione dignum est. 6. Huic regulæ similis est Metaphora, cujus in formandis verbis usus est frequentissimus: ut abjicere jugum, pro deficere, metiri pro censere seu arbitrari, ardere pro amare, calcar admovere pro incitare, & aliis ejusdem significationis. 7. Metaphoricis dictionibus adjungi possunt sententiæ proverbiales, quibus ut illis etiam sæpè utimur, ut umbram fugere, pro timere, metiri quid gnomone pro considerare, manum addere pro alienis se negotiis implicare, duabus se fulcire anchoris, pro subsidium habere, & alia sexcenta: de quibus copiosè in adagiis Erasmi. 8. Vt nomina per verba, sic contra hæc per illa quandoq; sunt formanda, ut senescere per senem, frigere per glaciem, vel aquam frigidam, sapere per saporem, nunciare per tabellarium. 9. Verba temporis partem significantia per actiones fieri tum solitas proferuntur, ut vesperascere per accensionem candelæ, lucescere per ejusdem extinctionem. 10. Privationem intemperantia repræsentat, primò per

nò per actionem vel passionem privationis modo sumptam, ut cessare, per abeuntem ab opere, abstinere carne per abstinentem apposita carne. II. Per abjectionem instrumenti, ut cessare à prælio, per armorum depositionem. III. Per insignium ablationem, quod fit in verbis dignitatis, & officiorum privationem designantibus, ut movere consulem, regem, &c. per fasces consuli, regi sceptrum ademptum. 11. Verba motus formant, abjectionem cum loco, ut abire per hominem abeuntem à scamno. 12. Verborum quædam per alia, ut per signa sua sunt exprimenda, ut seditionem facere, per pulsum tympani, canere classicum, pro canere tuba, edisce pro clauso libro discentem. 13. Causæ per effecta formantur, ut lætari pro saltare, rixari pro digladiari, inhabitare domum pro ædificare, & contra, ut vivere pro cibum capere. 14. Verba relationem importantia per correlata sunt exprimenda, ut docere per docentem simul & discentem, respondere per magistrum quærentẽ & discipulũ respondentem. 15. Verba generis naturam seu magis communem habentia minus sunt collocanda, ut laborare, per scribere, portare. 16. Quædam gestibus à plerisq; fieri consuetis effinguntur, ut

vereri, per fricantem caput, consentire, per annuentem capite, nauseam habere, per expuentem, ubi notandum ut gestus adhibitis quibusdam instrumentis formentur aptissimi: ut curam habere, more vigilis, aut pastoris, baculo, vel hasta niti. Et hæ ferè sunt regulæ, quas in formatione verborum observare debemus. Cæterarum partium voces, quibus modis figurandæ sint, ex tractatu sequenti patebit.

TRACTATUS III.
DE DICTIONIBVS Ignotis & non formatis.

CAPVT I.
De perfectis dictionibus.



Dictiones nobis incognitæ duplices sunt: significantes & nõ significantes: illis vocabula idiomatis cujuscunq; non intellecta, cum vocibus rerum non formatarum subjiciuntur: his ea quæ studio & experientiæ causa conficta quandoq; proponuntur. Vox ignota, aut certè non formata modis tribus observatur, dictione, syllabis, & literis. Dictione iterum duobus

Ignotæ voces quomodo observantur

duobus modis fit, quando dictio nota & figurata, pro alia ignota, sive figurata ea fuerit, sive non, ob vocis similitudinem ponitur, quod plerunq; contingit in dictionibus plura significantibus, vel in eodem vel in diversis idiomatibus spectatis. In eodem vel metaphoricè, ut si alea dum fortunam significat per aleam lusoriam formetur: vel propriè & sine metaphora, ut si malus, a, um, substantivum pro adjectivo, κῆρ pro cor id est, forte sumatur. In diversis duobus itidem modis fit: aut enim in utrobiq; idem significant, aut diversa. Si idem, sed res non formatas formandæ erunt juxta præcepta alia, ut abyssus, qua dictione & Græci & Latini utuntur figurarum puteo profundo. Si res formatas, eadem utrobiq; ratio erit, ut lychnus per lucernam. Quod si diversa denotent, per notum ignotum manifestabitur, ut Mamma, id est avia, per mammam, id est, uber, ἀλς per Halß/ id est, collum: sic φῶς vir, pro vos, pronomen capitur: ubi tamen diligenter cavendum est, ne scil. plurium linguarum notitiam habueris quod latina notasti dictione, germanica vel alia te notasse putes. Hæc de perfectis. Nunc de imperfectis pluribus agendum est. Imperfecta distinctione quid formatur, cum di-

ctioni dictio non omnino similis est, sed dissimilitudo quædam, & discrimen inter ipsas cernitur: Discrimen hoc in tribus deprehenditur, vel in literis, vel in syllabis, vel in utrisque: In literis una vel pluribus, similiter in syllabis, idq; tribus in locis, in principio dictionis, in medio, in fine. Talis autem differentia quatuor de causis accidit, vel ob literarũ & syllabarum, abundantiam, vel ob defectum, vel ob diversitatem, vel deniq; ob ordinem earundem contrarium: his defectivis succurritur detractatione, adjectione, commutatione, trajectione, de quibus ordine dicendum.

CAPVT II.

De detractatione.

Vide supra fol: 92. cum seq:

LItera vel syllaba, in dictione quam simili formare volumus, abundãs detractatione removenda est: Fit autem hæc ob syllabarum aut literarum ordinem modis tribus, aphæresi, syncope, apocope. Aphæresis est literæ, vel syllabæ principio dictionis subtractatio, ut acervus, cervus, mensis, ensis, tiara, ara. Syncope literam vel syllabam ê medio dictionis subtrahit: ut onerare, orare, cannabis, canis, θηρίον, fera. Apocope fine

fine dictionis aliquid detrahitur, ut anastrophe anas, verus, veru. Sed in usum hujus ne confusio fiat, dandæ sunt regulæ, quibus animadversis, ad dictionem prolatam perficiendam quid addendum esse admoneamur: pro quarum intelligentia, cujusnam generis sint dictiones pro aliis sumptæ, primò spectandum est: Deinde res tales in partes aptè sunt secandæ, servato certo inter eas ordine, ut homo in partem superiorẽ & inferiorem: in caput. pectus, pedes: in caput, pectus, ventrem, pedes & sic deinceps, pro multitudine, vel pauciate syllabarum illius quæ formanda est dictionis. Bestias eodem in suas ordine partes divides: item herbas & arbores, quæ si divisionem nobis necessariã non admittent, hominibus servato partium & syllabarum ordine ac numero jungenda erunt. His annotatis sit regula prima: ut sciamus quæ dictionis formandæ syllaba sit, ablata signum in parte dictionis sit figurantis numero syllabæ ademptæ, aut cui litera subtracta est, respondente erit collocandũ: ut si hæc in aphæresi occurrat dictio. Epirus commendanda, pro ea pyrum certo quodã loco ponam: quæ cum dictionem unius à fonte defectu literæ nondum perfectã offerat, nidum in illius apice, vel Epopẽ potius

collocatum fingam, cujus admonitu dictioni, sive pyrus literam E, quam Epops suggeret addendam esse facilè recordabor. Altera regula est, ut pro literis vel syllabis adjiciendis figuras juxta doctrinam de literis datam formatas dictionibus addamus, ut cumulus per mulum notatur, si Casparus venabulum aut veru in frontem muli fixerit. Postrema est, qua syllabæ deficientes vi & efficacia memoriæ naturalis notantur: nam parte dictionis alicujus majore ab arte hac formata, credi vix potest, quàm facilè & quàm expeditè, reliquum quod deest, naturalis memoria suppeditabit.

CAPVT III.

De Adjectione.

Vide supra fol: 92.

ADjectio est, cùm dictioni formandæ litera vel syllaba additur: fit autem ùt detractatio tribus in locis: in principio, in medio, in fine dictionis. In principio per prosthesin, qua litera vel syllaba principio dictionis additur, ut upus, vel pus dat lupus: per, aper, otium, lotium. In medio per Epenthesin, quæ medio dictionis quid interjicit, ùt Lais lapis, mera merga, alium allium. In fine per Paragogen, qua extremæ

syllabæ

syllabæ quid adjungitur, ut colum columba, papa papaver. Vt autem notes syllaba vel literas per figuram hanc additas, esse auferendas, fiet. 1. Vi & acie mentis nostræ. 2. Ablatione membrorum, quæ inter partes hominis & bestiarum numeravi, ut pus vel upus, lupus abscisso capite notabitur, per, apro capite truncato, collo, cauda dempta, in medio vix locum habet. 3. Iisdem nota partibus adjecta, quæ ordine vel literæ vel syllabæ demptæ respondebunt: quæ nota fiet colore, vel signo alio quocunq; ut macula nigra mergam in medio si notaveris, signum erit à medio literarum aliquam removendam esse scilicet g. ut maneat mera.

Nota, adjectiones qua ratione tollendæ.

CAPVT VI.

De commutatione.

COmmutatio græcè Antithesis est, cum literæ vel syllabæ commutantur, idque vel in principio vel medio, vel fine. In principio ut illa, olla, nix, pix. In medio, ut alius, aluus, ludum, lutum, ritus limus aut fimus, duabus junctis figuris. In fine, cœna cera. His duobus posterioribus modis formantur nomina quàm plurima græca in os, in us, à Latinis versa, & ea quæ diphthongi cujusdam

Supra fol: 93.

jusdam in vocalem mutatione discrimen adferunt. Est autem præceptum hoc admodum facilè, si dictione posita vocales, vel diphthongos, vel consonantes, vel literas simul omnes pro diversitate dictionum ordine discurrimus, donec verbum nobis inserviens deprehendamus verbi gratia, in voce, simus, formandæ consonantes hoc modo, bimus, cimus, dimus, &c. Percurro omnes, inter quas simus & limus nobis inserviunt. Idem in cæteris observandum est. Signum commutationis erit, si rem litera sua prima permutatæ similem dictioni signandæ junxerit, ut si super simum scamnum, quis posuerit, s pro f ponendum esse significabit. 2. Fiet, si personam sub litera quæ mutata est, contentam rei applices, ut si Simon super simum sederit idem indicabit. 3. Memoriæ naturalis tenacitate cõmutationi ὁμωνυμία, seu potiùs ὁμοιολογία, quę est similitudo quędam inter, dictiones quam habent vel in principio, vel in medio, vel in fine, ut si aristæ, pro Aristotele, pro γενεᾷ, id est, ætas, genu sumatur. Et notandus hic modus est quàm accuratissimè, ut omnium longè facilimus atque utilissimus.

CAPVT

CAPVT V.

De Trajectione.

Supra fol: 93.

METathesis seu Trajectio est literarum vel syllabarum ordo immutatus, ut vigro, virgo, coma, maco, mnaus, manus. Fit autem modis tribus. 1. Situs literarum immutatione, idq; vel in prima, vel in ultima, vel in mediis syllabis. 2. Inversione literarum omnium quando scilicet à litera dictionis extrema ad primam ejusdem ordine recurrimus, ut asor, rosa, amor, roma. 3. Trajectione syllabarum, ut risau auris, nusma manus. Trajectionis signum erit vel res vel persona, cui illa tribuitur inversa. Hæc de dictione.

CAPVT VI.

De Syllabis.

SYllabis formantur dictiones, dum in partes, vel syllabas dividuntur. In partes dividi tum voco, cùm in duas, tres vel quatuor, partes idiomate quocunq; significantes distributæ figuris propriis adhibita literarum, si opus fuerit, variatione qualicunq; donabuntur: ut verba statuamus, & fundamus, notatur illud in statua & mus: hoc in funda & mus, partes divisū est. Quod si una tantùm

tantùm vel altera partibus fuerit figurata, reliquis præceptis infra scriptis formabuntur: ut casus in ca & sus, quarum posterior per suem, prior per Casparum avenam sui dantem exprimatur. In syllabas dictiones dividi tum volo cùm neq; ipsæ, neq; partes illarum, quid significent: quapropter syllabæ dictionibus figuratis, quæ syllabam ejusmodi unam atq; alteram habent initialem, sunt exprimendæ, ut occurrente dictione hac, alacer, eam in a, la, & cer, syllabas dividam, priores duas dabit ala, postremam cervus, alatum igitur cervum pro ea substituam. Hoc præceptum quia utile valdè est, quo pacto sit intelligendum, paulò dicam explicatiùs. Colligenda igitur sunt ex dictionario latino, græco, vel linguæ alterius thesauro rerum ordine alphabetico significatarum vocabula, memoriæq; diligenter mandanda: tunc occurrente dictione non intellecta & in syllaba à te discerpta, hæc illis in hunc usum collectis dictionibus formabis non quibusvis, sed iis, quæ ab iisdem cum vocibus propositis syllabis initium sumunt. Quod si aliqua duas vel plures dictionis formandæ syllabas ordine referet, eam præ aliis, ut rerum multitudini parcatur, assumes: ut A, syllabam faciens, velut in amo

Quomodo syllabarum notæ colligendæ.

Supra fol: 88.

amo notat anus, acus, &c. Ab, abacus, abi, abies, ac, accipiter, ag, agger, al, albumen, allium, ar, arbor, arcus: ara, aratrum, vel ara nomen, &c. transeundo per omnes ordine literas & syllabas, ubi notandum est, ne in applicatione harum dictionum syllabas imperfectas, sed integras accipiamus, ut pro syllaba, ac, accipiter, non acus, pro an, anser, vel anguilla, non anethum sumenda est, ne oriatur rerum eo confusio. Ad augendas syllabas propria quoq; nomina hominum quamplurimùm conducunt, pro quo notandum syllabas aut à vocali, aut à consonante sumere initium. Si à vocali, aut à consonante & syllabam vel per se, vel cum adjuncta sibi consonante constituit: si per se tot ex illa resultabunt syllabæ, quot additæ abs te fuerint consonantes: ut aratro si Bernhardum præponas aratorem habes ba, vel bara syllabas ad dictionem barathrum, vel similem formandam: si Casparum caram, si Danielem, Dara, &c. Sic Cornelius si apexabinem comederit, conficies cape: Si Petrus pape, item si Salomon olus habuerit, habebit solus: hic si anum purgaverit, erit sanus: Si cum sequente consonante syllabam vocalis componat, eodem modo syllabarum numerus augebitur, verbi gratia, incudi

cudi propositus Bernardus formabit bin, Casparus cin, David din, &c. quibus in dictionibus, à tali syllaba recipientibus uti suo tempore quispiam poterit. Quod si à consonantibus initium faciant syllabæ augebuntur dupliciter, vel præfixis vocalibus, quo pacto una etiam syllaba crescunt dictiones, ut si Iohannes ligula umbilicum ligaverit, formabis ilium: vel consonantibus, ut si Casparus rapam Simoni dederit, cras
Observatio. compones. Observandum autem est, tum adhiberi maximè propria cùm dictio formanda in principio, medio vel fine vocalem habuerit, verbi gratia, Sint formandæ dictiones, amo, emo, imo. Si Albertus monachum percusserit, monedulam habuerit, molamvé manu verterit. Prima ab his syllaba sumpta, verbum amo formabis. Si Eberhardus circa eadem fuerit occupatus emo, si Iohannes imo. In his & ex his literis compositis nominibus annotandum est nec esse non esse, syllabas dictionis alicujus omnes hac arte componere: non una vel altera eadem contexta reliquas memoria naturalis officii sui haud memor promptè satis refundet.

CAPVT

CAPVT VII.

De Literis.

PEr literas hoc loco intelligo alphabeta, ex nominibus propriis, hominum, animalium terrestrium, aëreorum: Item arborum, herbarum, lapidum, fructuum, vestium, rerum domesticarum & instrumentorum utensilium quibuscunq; composita. His duobus uti modis possumus, vel singulis separatim acceptis, vel quod melius est omnibus mistim sumptis, in primæ cujusdam syllabæ litera locum personam sub illa litera comprehensâ substituentes. Necesse igitur est, ut personarum nobis cognitarum alphabeta multa habeamus collecta: tanta enim hac in arte illarum est utilitas: ut ejus magnam certè partem sibi vendicent, tùm in locis, tùm in figuris ex literis præcipuè formatis. Nunc exempla pauca proferam, *Exempla.* quibus moniti studiosi dictiones quascunq; dummodò proferri scribiq; possint, simili modo componêt illud tantùm observaturi, ut res syllabâ constituentes actionibus aptè cohæreant, quò citiùs memoriam, atq; feliciùs excitent, verbi gratia, vocem Ab. dat Albertus, Andreas vel alius sub A litera positus, cum bipenni stans, cum bombarda, baculo

baculo vel re alia B, subjecta Abs idem bombardam explodens in simiam, suem, vel easdem baculo percutiens. Nec, Nicolaus emunctorio candelâ emungens, Δῆλος, Daniel ignem excitans dat δῆ, cui ordine succedens Lambertus ova in sartaginem includet, ex qua actione posteriorem syllabam λος compones: quibus connexis dictionem propositam δῆλος formabis. Hoc sicuti & sequenti præcepto, partium inflexionem respuentium, & pronominum voces formantur: ut Nam referet Nicolaus, aleam, atramentarium, amphoram super mensam ponens. Iam Iohannes idem faciens: tu Taurus vaccam comprimens, & econtrà. Negotium autem præsens, ut feliciùs succedat, notandæ sunt regulæ sequentes. 1. Vt personas resque notissimas sumamus. 2. Vt forti imaginatione exprimantur. 3. Vt eædem syllabam componentes optimè cohæreant. 4. Vt persona agens primum ferè locum teneat, proximum res. 5. Quod si duæ fuerint similiter habentes se, prior in persona dextra constituatur posterior in siniſtra, ita ut persona locũ primum, res in dextra proximum, ultimum ea quæ in siniſtra, teneat, ut Cur exprimitur per Casparum, cum veru in dextra, & rastro in siniſtra

Regulæ 12. circa literas observandæ

siniſtra ad te converſum. 6. Si duarum una ut res locanda, altera ut locus affecta fuerit, illa prior, hæc poſterior erit: verbi gratia, ut in eodem maneamus exemplo: Cornelius vitrum in riſum ponet. 7. Si perſona aſſumatur altera, res per accuſandi caſum elata medium locum tenebit: Accuſativus enim rei dativo perſonæ præcedit: ut Cornelius dat vitrum Reinero. 8. Quod ſi hæc, ut inſtrumentum alteri applicabitur eidem illa præibit, ut idem ventilabro tollit rapas: vinculo rotam ligat: virgis Reinerum cædit. 9. Continens contento præponitur, ut tenet urna ripas. 10. Sedes perſonarum rationi accommodata eadem proximè ſequitur; ut Iohannes ſedens ſuper lapidem dat librum, Vrbano ſuper dolium ſedenti. 11. In vocabulis deligendis ne errorem ſimilitudo pariat diligenter cavendum eſt, ut ſi taurum ſumas, ne te bovem aut vaccam, aut vitulum accepiſſe arbitreris. 12. Dictionum Synonymia, quę mater horum errorum hac in arte dici poteſt ſumma cura ſtudioq; fugienda eſt, ne ſcilicet vocem hanc enſis, ſi ſumpſeris illam, gladium ejuſdem cum hac ſignificationis, te ſumpſiſſe putes. Quod ut vitetur dictiones in uſum hunc delectas, in chartam inſcribes, & inſcriptas crebrò per-

leges. Evitabitur etiam ejusmodi error si generis ejusdem, rebus, accidens qualecunque discrimen aliquod faciens, tribueris, easque sic distinctas vocibus diversis abs te exprimendis accommodaveris, ut si ensem pro gladio lato, gladium verò pro tenui & oblongo accipias.

CAPVT VIII.

De Placito.

ARbitrarium seu placitum appello, cùm quis in dictiones, in arte vel scientia circa quam versatur, usitatores, vel alias non figuratas dictionibus figuratis, nominibus propriis personarum, vel signis quibusdam veris aut fictis, expresserit: ut L. Falcid. falce, de Aleator, alea: de Carbon. edict. carbonario. Sic autem A, dabit aper, ab, abbas, clam, clavis, palàm, pala, inter, intercula quomodo prępositiones reliquas, & Syncategoremata quæcunque formare non erit laboriosum. 2. Formantur voces ejusmodi personis certis in harum tantùm usum collectis: ut A, Alberbo ad, Adamo: ante, Antonio, &c. ita ut hæ cum illis literis primis conveniant. 3. Per signa excogitata à nobis, ut si quis pro præpositionibus accusativum

Supra fol: 95.

sativum regentibus, stellam auream collocet: pro iis quæ ablativum admittunt, argenteam: quæ utrumque partim auream, partim argenteam. Sic adverbia loci loculis, temporis horologio, confirmandi sigillo, Demonstrandi, indice. Hortandi, tuba, similitudinis, norma effinges. Conjunctionibus copulativis, vinculum quoddam, tribuetur. Disjunctivis, idem disruptum, Discretivis, terebrum: adversativis, cornua tauri, cervi, hirci, &c. Quod in interjectionum, & in cæteris conjunctionum potestatibus similiter est sentiendum.

TRACTATUS IV.
DE CONIVNCTIS dictionibus.

CAPVT I.

De Poëmatibus.

HActenus de Simplicibus, nunc de Conjunctis dictionibus, seu de Oratione nobis sermo erit. Orationis autem partes multas esse nemo ignorat, ex quibus eas quæ formationem exigere videntur singularem, tractandas eligam à poëmatibus exordium

Quomodo versus memoriæ tradendi.

exordiũ capturus Poëmata memoriæ mandantur 1. Formando primam tantùm cujuslibet dictionis literam, verbi gratia, ut versus hujus: *O mihi præteritos referat, &c.* memor sim, vocalem O. Ove certo quodam in loco posita formabo, qua regula utimur, cum dictiones versuum initiales figuratæ non sunt. 2. Modus est, quo prima versus dictio figuratur, verbi gratia versus illius: *Poma dat Autumnus, &c.* recordabor per eum, qui poma pueris distribuit. Et hujus usus est in dictionibus formatis. 3. Cùm rei conceptum seu versus totius summam figurâ exprimimus, verbi causâ, ut distichon hoc (*Nec quæ præteriit rursus revocabitur unda. Nec quæ præteriit hora, redire potest.* memoria teneam, primo loco aquam, & jam ex gutturnio fluere cogitabo: secundo loco horologium ponam: ubi aqua fluens prioris, posterioris horologium summam exprimit. Hìc rerum varietas, & multitudo ternis binis, singulisq; quandoq; vocibus in uno versu comprehensa spectanda est. eaq; si naturali memorię non confidimus, tot figuris, quàm multiplex illa fuerit, proferatur, necesse est, ut *Sylva feras cepit, volucres agitabilis aër.* Hic versus duo continet membra, hoc priore illud posteriore hemistichio, quibus observandis

vandis figuræ duobus in locis collocatæ, constituuntur. Fingo igitur sylvam esse, vel naturalem quendam saltum ad hoc eligo feris repletum, supra quem volucres in aëre circumvolitantes memoriæ imprimo. 4. Ex superioribus compositus est, cum & literæ vel dictionis primæ & rei summæ notas excogitamus: qui quidem modus sicut operosior est, ita & commodior: ut pro versu hoc: *Nunc duo concordes anima moriemur in una*: duos mutuo dum complexu hærent, sub nuce mortem obire fingam: ubi nux tanquam locus prior, occurens adverbium nunc, mors utriusque, rem versu expressam suggeret. 5. Et postremus est, cùm initiales versuum literæ; figuris, actionibus aptè concinneque cohærentibus donantur, quo modo versus 100. locis pauciſsimis concludes. Exempla brevitatis cau. à prætermito.

CAPVT II.

De sententiis ac legibus.

SEntentiæ tùm politicæ, tùm sacræ, memoriæ traduntur, rei summam simulacrouno, vel pluribus exprimendo adjunctâ plerunque dictionis aut literæ primæ notâ: verbi gratia, sententiam hanc: Non omnia

omnibus æquè feliciter cedunt, ita formabis. Finge puerorum trium nucibus colludentium ternas unumquemq; nuces in scrobem hac injicere sorte, ut primo omnes tres, secundo duæ, tertio una tantùm incidat: per nuces, Non, dictionis primæ recordaberis, per ternas nuces, omnia, per pueros tres, omnibus, per casum deniq; nucum diversum non æquè feliciter cedunt. Nota autem neq; in sententiis, neq; in legibus, neq; in ulla orationis parte verba singula notis esse exprimenda: sed illa solùm quæ rei medullã attingunt, quæque diversitatem tùm qualitate, tùm actione præsertim inferunt. Nam voces reliquæ cum earundem ordine naturali commendandæ sunt memoriæ quę hac in arte ita exercebit se, ut rei simulacro totius contenta cætera sine ulla verborum mutatione retinere retentaq; reddere consuescat. Quod si sentẽtię plura fuerint membra, plures quoq; formæ ponendæ erunt, ut pro illa Matth. 7. Petite & dabitur vobis &c. figuras statuam tres, primam, duos homines, hunc petentem, illum dantem loco primo: secundam, quærentem & invenientẽ, secundo loco: tertiam, hunc pulsantem, aperientem illum loco tertio. Frequenter autem contingit, ut quot verba tot orationis membra

membra videantur esse. Quare suam cuiq; notam apponere non inutile quandoq; videbitur: hæc de sententiis. De Legibus tria videntur explicanda esse: primum est modus, quo res de quibus scriptæ promulgatæque leges sunt, aptè distinctéq; expressæ nobis repræsentantur: alterum est legum vel paragraphorum singulorum ad locos applicandi ratio: ita ut numerus eorundem observari commodè satis possit. Postremum est particularum in jure citandarũ prompta & expedita retinendi via: de istis duobus præsenti capite agam, hoc postremo in caput de citatione rejecto. Quod ad leges observandas attinet, nihil ea de re hic dicendum puto, cùm modi quibus id fieri debeat, partim antecedente, partim sequenti capite à me (ni fallor) traditæ sint omnes: ut sunt literæ vel dictionis cujusvis legis initialis notatio: rei sive negotii principalis imagine viva expressio: aperta rerum magnitudinis in unam eandemq; legem, aut paragraphum injectæ partitio: membrorum si placuerit singulorum explicatio formatioque, &c. ad applicationem igitur legum, & earundem paragraphorum si quos habent accedo: ubi curandum inprimis est, ut locos si illarũ meminisse semper velimus quàm plurimos,

Quid circa leges notandas observandum.

eosque immutabiles conquiramus, libri alicujus titulis singulis certis quibusdam ex iis destinatis. Hi deniq; sic describendi sunt, ut effigies secundùm titulos effformatæ, & locorum distinctionem indicent & in quo titulorum quisq; cubiculo, vel domo inveniendus sit, eædem apertè tibi demonstrent, verbi gratia pro titul. 1. lib. 1. ff. statuam justitiæ super ejus in quo disponere titulum illum voluero, cubiculi januam mente ponam, pro 9. Senatorem, pro 10. Consulem, quod de omnibus observato titulis, pro quibus formandis te ad præcepta voluntaria, & ad alia tractanda, tria præcepta conferes. Quo facto cubiculorum locus hominibus, arboribus, animalibus terreis & aêreis, tùm angulis, tùm angulorum interstitiis ubi opus videbitur additis, augebis junctis illis figuris magnis. 4. Circulis in formam crucis terminatis parietibusq; affixis. Præterea opus est ut titulos eos, qui in libro unoquoque præscripti sunt, ordine disponas, memoriæq; mandes. Adhæc utile admodum est, ut locos tituli alicujus legibus assignatos ita numeris distinguas, ut unaquæque, quota sit scire quamprimùm possis, cui duo conducunt maximè, prius est, si eam cui §. unus vel plures subjiciuntur, legem

Supra fol: 143.

signo

signo quodam ab aliis secreveris. Posterius si figuris, quàm pauciſsimis leges comprehenderis, ita ut legem unam §. qui additur: alteram, si fieri potest, effigies oculis exhibeat, sed hæc viva voce sunt explicanda.

CAPVT III.

De Periodis.

EPistolæ, Orationes Rhetoricæ, Concionnes, Disputationes, & Sermones alii longiores, ex pluribus compositi periodis hac arte formantur, si periodos aut singulos aut principaliores tantùm figuris exprimimus. Quare si quib⁹ modis has formari conveniat, breviter declaraverim, & dictæ orationis partes qua ratione memoriæ tradátur, erit explicatum. Periodi aut una aut pluribus partibus conjunctione discretiva, adversativa, causali, conditionali, sejunctis, aut certè ob rei varietatē diversis constant. Si unam tantùm habuerit vel membra ea unico concluſa est, vel pluribus si uno unaquæque figura contenta erit: verbi gratia, Periodus. 1. Epist. 12. lib. 5. *Coram me tecum*, formabitur per eum, qui cùm Epistolam, rubicunda vel tecta facie tradidit, statim abit. 2. Si plura extiterint membra plures quoq; formari possunt imagines,

Supra fol: 133.

ut periodus illa, Si te dolor aliquis corporis, &c. plura continet membra, licet non plures unà partes, primum in voce dolor consistit, quæ vulnere: secundum in ludo, quæ comœdia, tertium in fortuna, quæ rota, quartum in sapientiæ nomine, quæ serpente formatur. Finges igitur quendam Simonem nomine, vulneratum, juxta fortunę rotam cum Serpente, quam dextra tenet, sedere ludo scenico in loco sequente instructo. 3. Si pluribus partibus constabunt periodi, singulæ pari modo partes figuris donandæ sunt, ut periodus hæc. Si quid est in me ingenii, &c. Pro Archia, quatuor absolvitur partibus, quarum tres priores per oratorem oculos igneos, os melle oblitum, librumque dextra habentem conformantur: quarta formabitur, si Albertus Liciæ (propter nomen poêtæ) & aristas juxta se habuerit. 4. Quod si periodus in membra fuerit consciſſa minutissima, ut est Invectivæ in Cat. 3. periodus 1. membra ea sic figurabis, ut locis quàm pauciſsimis simulacrorum contenta sit multitudo. 5. Notantur periodi, dum rei & negotii totius breviter & summatim comprehensi notam statuimus. Videndum autem est, utrum actio & persona agens in periodo reperiatur nec ne, id si

id si fuerit, imagines per agentes personas formabimus: si hoc, annitendum diligenter est, ut dictiones periodi principales actione edita à persona rei attributa exprimamus. 6. Exhibentur formatis iis, quibus constant argumentis, figuris, tropis, aliisq; Rhetoricis ornamentis. 7. Primam tantùm cujuslibet periodi dictionem ut de versibus docui, notando. 8. Conjũgendo modos plures.

CAPVT IV.

De Orationibus & Concionibus.

QVia res quævis ex partibus suis componitur, & quia perfecta illius cognitio ex harum distincta pendet notitia, declarata periodorum formatione, orationes quibusnam modis efformandæ sint, facilè cuivis erit intelligere. Porrò est alius quidam modus orationibus perfamiliaris de quo breviter annota: Inspicienda primùm est, & animo sedulo percurrenda res, tota oratione expressa, vel à nobis dicendo mox exprimenda, quę qualis sit, quibus personis actionibusq; constet, (tum in partes rhetorum proprias) distributa, quid in harum unaquæq; fiat annotandum, & pro rerum, personarum, actionum, argumentationum, & locorum

Supra fol: 99.

In orationibus circumstantiæ rerũ temporum, personarum inspiciendæ.

& locorum Rhetoricorum varietate atque distinctione quælibet in suas partes iterum resoluta, figuris aptissimis exprimi debet. Sed hîc memoriam suam naturalem, dicendiq; facultatem quisq; perpendet, ut pro viribus illius multitudinem partium, locorum, atque formarum, vel augeat, vel minuat. Conciones eadem disponendi ratio est, ea in duas, tres, quatuor, vel plures pro diversitate materiæ partes primarias, dividatur, mox harum unaquæq; in minores secabitur, sectæque figuris aptissimis, quoad fieri poterit, expressæ in locos ordine sibi succedentes firmiter collocabuntur. Duo verò de locis hîc notanda occurrunt: primum est, ut partibus majoribus loca propria & rei maximè convenientia tot eligas, quot minoribus, in quas illæ distinctæ sunt sufficere putabis: Alterum, ut locos testimoniis scripturæ, atq; auctoritatibus DD. tract. 1. præscriptos & infra latius explicandos, pro illorum multitudine tribus præfigas.

Notæ duæ circa locos.

CAPVT V.

De historiis & negotiis.

Divisio Historiarum. HIstoriarum, cùm Ecclesiasticarũ, tùm politicarum, aliæ sunt uniformes, disformes

formes aliæ: Vniformes appello eas, quæ actione unica absolvuntur: difformes, quæ actionibus variis ab iisdem personis vel diversis transactis constant. Mandantur autem memoriæ historiæ, cùm actiones singulas personis, habitu, gestibusq; accommodatissimis, notissimisq; adhibitis, ita instituimus, ut luculenter, distinctè & ad vivum quasi expressæ repræsententur. Quæ res quia per se aperta est satis, non est cur eam exemplis cuilibet passim obviis manifestem. 2. Notantur historiæ, cùm unicam tantùm negotii principalis maximeq; notabilis, & hanc à cæteris historiis notam distinguentem ponimus, quod quidem pictoribus, statuariis, acu-pictoribus in exprimendis historiis usitatissimum est, verbi gratia, Historiæ de Cyr. 1. Iust. recordaberis, per vitem ex naturalibus virgis enatam, per expositum à pastore puerum, per hunc à cane lactatum: deniq; per filium patri comedendum in convivio appositum. Negotia à te conficienda notabuntur modis itidem duobus: priore, si in locis, ubi eadem agere decreviſti, vel tibi maximè obviis, eorum signa statueris: posteriore, si in digitis & articulis, prima cujuslibet litera depicta notas posueris.

Negotiorũ conficiendorum quomodo recordamur.

CAPVT

CAPVT VI.

De Argumentatione.

ARgumentationis ſpecies duas, ut præcipuas, hoc loco tractandas, accipiam Syllogiſmum & Enthymema, de illo prius, de hoc poſterius agendo. Syllogiſmi notantur, cùm vel medium vel præmiſſas formamus. In diſputationibus prolixioribus, mediorum tantùm imagines effingi, easq; in partibus corporis illius hominis quo cum diſputamus, vel alterius, eo, quem in partibus humani corporis tradidi, ordine, diſponi conſultum eſt. In aliis præmiſſæ utriusq; facta ſimulacra in corpore humano ſic diſtribues. 1. Ponendo majorem in pectore, vel ventre, probationes majoris, in dextro hominis latere, minoris in ſiniſtro. 2. Majorem in dextra, in ſiniſtra minorem ponendo. Rationes utriusque eodem quo ante collocandæ erunt ordine. Affirmationem, negationemq; propoſitionum advertes. 1. Signo capitis ab homine, ſuper quem argumentum collocaſti, dato. 2. Signis iis, quibus in abſolvendis damnandisq; reis antiqui uſi fuêre, ut affirmationem calculo albo, negationem nigro, illam, ſaba alba, hanc, nigra, illam creta, carbone hanc notando.

Syllogiſmus ſupra fol: 105.

CAPVT

CAPVT VII.

De ratione dictandi.

DIctandi ratio, qua res plures, & diversas eodem dictamus tempore, duplex est, & scripto & ex memoria: illa quidem simplicior faciliorque, hæc verò difficilior, atq; artificiosior est. Qui igitur diversas scriptoribus diversis prælegere vult materias, primò curabit ut folia chartæ, pro unaquaq; materia comparata multitudine dictionum, aut saltem sententiarum, membrorum, versuum æqualitate, quantum fieri potest, conveniant. Deinde membra versus aut sententiarum folii cujuslibet virgulis longioribus separatim distinguet, & distinctas numerorum formas notabit. 3. Membra singula singularum memoriarum, materiarum sic distincta & annotata hoc ordine Scribis, dictabit, ut primo membrum 1. fol. 1. ubi prælegerit, mox secundo membrum 1. folii seu materiæ 2. Subjiciat tunc tertio folii 3. membrum 1. Hinc quarto fol. 4. membrum quoq; 1. Quo facto ad folium primum rediens ex eo Scribæ primo, membrum secundum leget: post hoc secundo folio, Secundo secundum: hinc tertio, secundi folii tertium, &c. quam viam si tenuerit efficies

Supra fol: 131. & 133.

efficiet ut scribarum unusquisq; materiam sibi prælectam eodem tempore habeat absolutam. Ex memoria dicturus locis pro materiæ diversitate sibi propositis, unam post alteram jam jam prælectam, acie mentis leviter applicata mandabit, ordinem illorum perpetuò iterando.

CAPVT VIII.

De Tempore.

QVoniam ad citationem cùm tempus tùm numerus maximè pertinet, de duobus his prius, quàm de illa dicam, necesse est. Tempus communiter acceptum formabis sphærâ Mathematicâ, sive Astrolabio ab angelo celerrimè circumacto. Partes ejus duplices sunt, aliæ essentiales, accidentariæ aliæ. Essentiales sunt præsens, quod per caput Leonis, vel per dictâ sphæram ramusculis cerasi ad axis extremitatem, utramq; cum fructu positis exprimitur: præteritum notatum per lupum, vel caput illius, per eandem sphæram ramusculis arescentibus deformatum: futurum à cane lingente, à gallo vel pavone canente, à sphæra cum ramusculis pulchrè florentibus exhibitum. Hæc de partibus essentialibus.

Partes temporis duplices. Essentiales.

Acciden-

Accidentariæ temporis partes multæ sunt, ex variarum qualitatum observatione desumptæ, quarum præcipuæ sunt hæ: annus, qui per serpentem caudam sibi mordentem vel per circulum aureum magnum exprimitur. Lustrum, quod gesticulatoribus: Decennium, quod puero super baculum equitante, vel alpha, aureo colore picta, &c. Vide pictas de hominum ætatibus imagines & figuras, quibus notari majores annorum numeri solent. Mensem universaliter sumptum Luna, ut causa illius, aurea ostendet. Menses ipsi modis variis exprimuntur, figuris Calendariis de mensibus frequenter appictis: ut Ianuarius, sene igne se calefaciente, vel epulante. Februarius, semente, &c. 2. Effectis suis potioribus, ut Aprilis, gramine: Majus, floribus: October, uvis, &c. 3. Per figuras 12. signorum Zodiaci, ut Ianuarius per Aquarium, Februarius per Pisces, Martius per Arietem, &c. Exhibentur denique festis præcipuis, mensibus singulis incurrentibus, de quibus Calendarium consule. Dies, 12. horarum tabulâ notabitur, si generaliter eum sumpseris. Hebdomadales signabuntur dies, 1. Septem planetarum figuris. 2. Characteribus planetarum. 3. Metallis iis, quibus

Accidentales.

Menses quomodo exprimantur.

planetæ influunt. 4. Christianorum more, dies Solis resurrectione Domini: Lunæ, maledictione fici: Martis, nuptiis, Canæ Gallileæ: Mercurii, concilio & venditione Christi: Iovis, Cœna Domini: Veneris, crucifixione: Sabbati, sepultura ejusdem. Noctem indicabit candela, Lucerna, ampulla: horam, quodvis horologium. Momentum, ictus oculi.

CAPVT IX.

De Numeris.

Supra fol: 96.

NVmeri modis annotantur tribus. 1. Suis ipsi notis colore nigro, rubro, vel aureo magnitudine debita formatis. 2. Figuris artificialibus, ut unitas numeri principium, hasta, columnula, virgula, baculo. Duo, pisce os aperiente, furca, bicuspide, patibulo duabus columnis fulto, animali bipede quocunque. Tria à tripode, à sede tribus fulta pedibus, à furca tricuspide, ab equo trahente carrum, à patibulo duobus postibus erecto, fureque in eo suspenso, vel ab alio tribus fundato columnis, offeruntur. Quatuor, dabit scamnum vel mensa, feretrum, animal quadrupes, currus, &c. Quinque, exprimet figura quinque habens angulos, mono-

los, monotrochium, vel forceps ansis erectis, diductisque, equus currum trahens. Sex, formabit tripus super tripodem, sedes quæ constat tribus pedibus, super aliam totidem suffultam posita: Animal quadrupes, & cornutum: Limax è testa caput exerens: currus à duobus equis tractus. Septem, exprimuntur gnomone, duobus ostii angulis, patibulo militari semidimidio, curru à tribus equis tracto. Octo, exhibent duo annuli, duo globi, duo poma, duo scabella, uno super alterum ubique posito. Novem, efficies tripodibus, vel sedibus, tripedalibus tribus sibi mutuò impositis. Tripode vel sede tripedali ab animante quadrupede cornutoque, ut bove, cervo, &c. cornibus portata. Decem dabit crux, anguis sibi caudam mordens, pepo, caput papaveris, pomum, circulus, annulus, globus si unitatibus postposueris. Cæteras numerorũ species ex harum inter se varia dispositione formabis. Huc pertinent, quæ numerum so denotant, ut Ocrea, pes, securis, gnomon, alarium, &c. ut L. posita. Centum repræsentabit semicirculus, cornu, arcus, calx ferratus. Quingenta vas cum duabus ansis, arcusq; Turcicus ut D. collocatus. Mille, anchora & alia, ut M. formata. 3. Formabunt

Characteres majusculi numerorum.

numeros artifices 10. vel 14. diversi, numerum ex primis decem certum unusquisque referens, quæ res ad figurandas idonea admodum est, ita ut adhibito dimidiæ horæ exercitio, res miræ utilitatis efficiatur.

CAPVT X.

De formatione particularum citationis majorum.

Supra fol: 126. cum seq:

PArtes citationis sunt duplices, amplio-res sive majores, & angustiores sive minores. De his igitur dicturus, primò Majores quæ sint & quomodo formentur, declarabo. Deinde quas angustiores vocem, quænam eæ sint, quot modis notandæ, aperiam. Demum qua locis ratione citationum particulæ debeant applicari similiter ostendam. Ampliores voco partes, auctorem & opus sive librum auctoris. Auctor modis exhibetur quatuor. 1. A sua imagine, ut S. Matthæus ab angelo, Lucas à bove: Sic David, Aristoteles, Galenus, Iustinianus, & alii à simulacris suis, si nobis ea fuerint repræsentantur. 2. Ab opere, quod conscripsit: hoc quemadmodum fiat statim dicetur. 3. A libro figuræ auctoris juncto, ut S. Marcus per Leonem, & librum observabitur.

vabitur. Quod si libri ejusdem extiterint plures, distinguendi erunt in hunc modum. Primò libri cujuslibet notatione auctori adjuncta, de qua infra. 2. Gestibus aut signis eidem pro librorum diversitate diversis attributis, verbi gratia, pro Evangelio S. Iohannis, ipse concionabitur: pro Epistola, scribet: pro Apocalypsi, mentem & oculos in cœlum erectos habebit. 3. Distinctione librorum colore diverso assignata, verbi gratia, volumen Oratio: Ciceronis primũ, colore aureo, alterum rubeo, tertium viridi erit infectum. Quartò, numero libris inscripto, ut volumen 1. unitate in libri superficie posita, secundum binario, ternario tertium. Offertur demum scriptor vel auctor per aliam personam nomine & officio sibi non dissimilem; ut Bartolus per eximium Iurisperitum, Galenus per Medicum præstantissimum, &c. Liber modis observabitur septem. 1. Sua ipsius figura, quod fit, cùm eos qui ob lectionem assiduam, usumque quotidianum nobis notissimi sunt, in locum vi mentis ponimus. 2. Cognoscitur per auctorem, quod fieri solet cùm unicum tantùm alicujus extat opus. 3. Per auctorem & librum si notus uterque fuerit. 4. Per inscriptionem seu titulum

libri, ut liber Aristotelis de cœlo formabitur per librum solum, vel per Aristotelem cum libro, qui stellis depictus fulgebit. 5. Per libri materiam, quæ cum inscriptione sæpè convenit: quæ si partialis, multiplexq; in eodem reperiatur libro, hic per unam. quamque illarum, si notabiles & distinctivæ fuerint, poterit assignari, ut Primus liber Mosis, per hominis creationem, per casum primorum parentum, per fratricidium Cain & Abel, per diluvium seu per Arcam Noë: & per Abrahamū filium occidentem, & per alias ibidem repertas historias: quod idem in omnibus aliorum auctorum libris observatu dignum est. 6. Formantur juxta præcepta de dictionibus ignotis data: ut Aristotelis Logica, lorica: Physica, vesica: Digesta, digitis in manu ingentibus. Pandecta, pane, panno, &c. Authen. aucupe, auro, ave, &c. Codex, codice propriè sumpto, vel cortice. Feud. funda, fidelia, fide, &c. 7. Tandem per signa consueta seu arbitraria: ut Digest. seu Pandect. ff. vel x. vel per librum panno Pantherævé pelle obductum: Ius canonicum seu Pontificium vel per ingentem librum, à canonico quodam, aut à S. Pontifice monstratum, sicuti civile, per librum à cive tentum, & idem de omni-

de omnibus omninò libris judicium est. Nunc ad alteram citationis partem procedam.

CAPVT XI.

De formatione particularum minorum.

ANgustioris citationis partes eas dico, quæ amplioribus, ut particulæ adjunctæ, rei alicujus tractatum in minores quasi partes dissecant: quales apud Theologos sunt dist. quota: apud Iurisperitos num: lex, §. &c. cum prima L. aut §. dictione. Apud Medicos cap. Sect. Aphor. &c. Apud Philosophos text. com. &c. de quibus in sequentibus. Hæ & similes citationum formulæ modis formantur quinque: 1. Si majusculis eas in libris, vel coronis, characteribus iis, quibus ab auctoribus præscribi solent, depictas finxeris. 2. Primas earũ literas literis instrumentalibus à Rosello l. 2. depictis exprimendo. 3. Easdé literis variè membrorum situ, formatis effingendo, de quibus idem. 4. Per ea corporis humani membra quæ syllaba vel litera una, vel pluribus cum illis conveniant, ut si quis pro art. arteriam digiti, vel aurem tangat, pro part. papillam,

Supra fol: 130. & 331.

lam, barbam, poplitem, &c. pro quot. coſtam, pro membro mentum, pro diſt. digitum erigat vel dentes monſtret: pro quæſt. ſiniſtrũ extendat brachium: Reſpon. oſtendent renes: cap. caput: can. capilli, vel cani potius: leg. pollex, lingua, labium: parag. palatum, pileus: tit. tibia, tempora: collat. collum: verſ. vertex, venter, umbilicus: gloſſ. genæ genu. conſ. collum: tract. teſticuli, tali: ſect. ſpina, ſcapula: nũ. naſus, &c. com. comæ id eſt crines prolixi: tex tempora, &c. Iuxta præcepta de dictionibus non intellectis antea propoſita, ut quot. quadra, quaſillo: diſtinct. diſcerniculo, diſco: part. chartula, parma: art. arcu, arca: memb. menſa, mentha: quæſt. quercus ramuſculo vel veſte: reſponſ. regula, reme, rectè: concluſ. clauſtro, compede, pugna: cap. capra, catto: can. cane, candela. Conſil dabit concha & interdum conſul: num. nux, nummus: leg. fex, lilium, vervex, halec. §. graphium, graphiarium: tit. vitulus, tibia, titio: verſ. verticulus, veru, virgula. Gloſſa formatur globo, glomare, glutine: tract. trabe, trocho, trochylo: ſect. ſerra, ſecuri, ſciſſo ſtramine: text. textoris quodam inſtrumento, teſſera, teſta: com. commento, coma, cochleari. Princip. monſtrabit

Supra fol: 131.

radix,

radix, fax, cor. Fin. funis: in fin. in fula, infundibulum: dist. digitus, digitali ornatus. Eodem, tandem per cotem annotabis.

CAPVT XII.

De applicatione dictarum particularum ad locos.

QVod ad dictarum particularum ad locos applicandarum rationem attinet, manifestum inprimis est, earum se vel unicam tantùm offerre, vel duas, vel tres aut plures frequenter concurrere. Notandum deinde est, illas vel homini, vel parieti, vel utique posse applicari. Hæc ut intelligantur exempla quædam, juxta particularum auctionem ordine proferam. Primus igitur modus quo solùm auctor, vel liber ejus citatur, satis apertus est, cùm nimirum auctoris simulacrum, ut hominem alium ejusdem nominis, officii, dignitatis aut facultatis pro auctore ipso à nobis semper habitum, loco accommodemus, juncto ei, si necesse fuerit, signo quodam auctoris nomen indicante. Si partes jungantur duæ, major scilicet & minor, vel utræque super hominem locabuntur, ut si dicantur Matth. cap. 3. D. Matth. vel alius ut jam dixi, pro eo

cum angelo constitutus, super sedem tripe-
dalem sedebit, aut digitos tres eriget, aut
totidem caput tanget, vel numerus tabulæ
oblongæ circulus vacuis, albisque pulchrè
distinctæ parieti affixæ, vel personæ in ma-
num datæ, inscribetur, particula capitis præ-
termissa. Nam adverte, si operis alicujus
distinctivæ particulæ tibi notę fuerint, eas
formari aut exprimi supervacaneũ penitus
esset, cum plus officiant memoriæ quàm
prosint. Quod si auctorem sequatur solùm
nomen libri, hic vel notus tibi erit, vel igno-
tus: si illud, dabitur iste liber in manum
auctori: si hoc, figura titulum libri nomi-
natum referens, ei jungenda erit. Si partes
duas ampliores una sequatur angustior, eo-
dem ut supra modo formabuntur, ut Aristo-
teles de cœlo, lib. 2. notabitur per librum ab
Aristotele conscriptum, mihique notum,
cum binarii numeri inscriptione: vel per
librum stellis undique pictum, ab eo qui
tollit duos digitos: aut animal bipes, penes
se habeat, exhibitum. Quod si duæ fuerint
minores, cum majore in medio posita, ut l.
3. vel l. testium ff. de test. hominem cum li-
bro, ff. tibi notum nota, vel eo, de quo di-
ctum est, discrimine à cæteris sejuncto, per-
petuum habebis, super quem particulas

ejusmodi

ejusmodi colloces. Pendebit igitur huic ex illo liber, dextraque furcam tricuspidem, tripodem, vel digitos tres erectos tenebit, aut tandem arietis testiculos in eadem manu, cujus index annulo aureo ingenti erit ornatus, habebit, quemadmodum in sinistra testiculos alios animalis ejusdem vel alterius. Præterea si quatuor erunt particulæ, vel ad pauciores reducantur, vel formabuntur omnes: si illud, ut priùs disponentur: si hoc, tribuentur homini sic, ut particula prima, sive liber in pectore ponatur, secunda in manu dextra, tertia in capite, in manu sinistra quarta, ut l. servus 7. ff. de bon. possess. dexterâ servum, quem nosti percutiet is, qui gnomonem super caput erectum habet, sinistrâque sportulam, pomis (pro bonis) portat. Idem fiet, si §. legi additur ut l. Bona §. Invito aut ff. eod. poma manu dextra feret, capite vitem cum ave, sinistra cotem. Adhæc si particularum quinq; fuerint, secundâ in pede, tertiam in manu dextri lateris, sicut quartam in manu, quintam in pede sinistro locare poteris, ut si locus prædictus, juncta §. nota rursus alligatus sit ad pedẽ dextrũ, vel in sacculo caligarũ poma deponã, pro §. pileũ in manu dextra, pro invito auth. vitẽ cum ave in sinistra: pro eodem

eodem, cotem sinistro annexam esse pedi comminiscatur. Insuper si partes fuerint 6. capitis verticem dictis membris adjunges: ut l. Navis onust. 4. §. cum autem 2. ff. de leg. Rhod. navem rebus quibusvis onustam ad dextram illius pedem advectam finges, qui dextrâ animal quadrupes tenet, capiti verò cauterium, dictiones has, Cum aut, per contractionem referens, impressum habet, sicut in sinistra furcam bicuspidem, & ad pedem sinistrum, lebetem, legenam, vel halecem super rotam positam. Tandem si plures addere particulas, ut l. ut §. & alias volueris, in plures quoque partes hominem divides.

CAPVT XIII.

De conditionibus figurarum.

QVemadmodum supra locis conditiones quasdam assignavi: ita hoc loco, proprietates alias circa figuras diligenter observandas tradam oportet. Prima igitur omnium est, ut res prius, quàm figuris conservantibus donetur, bis, tervé, tardè & distinctè, ut Cicero vult perlegatur. 2. Quærendæ eligendæque sunt, formæ rebus convenientissimæ, notissimæque, ut earum admonitu

monitu in rei memoriam facilè deveniamus. 3. Figuris motus & actio tribuenda est: nam res otiosæ, immotæque jacentes, memoriam minùs acriter excitant. Quare notandum est, rem esse vel motui subjectam, vel ejusdem expertem: si illud, per se quid res agere fingetur, ut Vulpes Gallinam portabit Ovem Lupus: si hoc, rebus mobilibus per se attribuentur, & iis præsertim, cum quibus junctæ commodè instituatur actio. 4. Formæ sic operabuntur, ut effectus, vel delectationis, vel tristitiæ, vel iræ, vel indignationis, admirationis, commiserationis, aut alios, qui sunt generis ejusdem, moveant. 5. Non una, uni tantùm loco, rei semper infigenda nota est, cùm figuræ plures, lentè cogitateque formatæ unum in locum transferri queant: quot in personis collocandis rectè fit, cùm majori minores plures subjungantur. 6. Figuris iis utemur, quæ locis naturali quadam communione conveniunt, ut dum Sutoris quid officina locare vis, instrumentis in ea repertis uti studebis, quò fit, ut naturalibus, sive artificialibus potiùs, quàm fictis utamur simulacris. 7. Neque altæ nimis, humiliores, quàm pareat, erunt imagines, cùm utrunq; genus oculos gravet. 8. Cavendum summoperè

moperè est, ne res eadem eodem vel sequenti die ad res diversas exprimendas: neque pro eadem sæpius in eadem materia sumatur, quod in repetitione confusionem facilè pareret. Quapropter pluribus diversisque figuris abundemus necesse est. 9. Rem tamen eandem accidentibus, vel modo quodam adjuncto sibi diversam, sæpius uno eodemque tempore accipi, vel pro eodem, vel pro diversis, nihil prohibet. 10. In figuris, earum rerum, quas firmiter in animis nostris diuque hærere cupimus collocandis, repetitio est longè utilissima: Vt forma secunda posita, simulacrum primum, priusquam ad tertium formandum progrediamur, inspiciendum rursus est, seduloq; perpendendum. 11. Notandum præterea est & id, de quo crebra facta est mentio, eorum solùm membrorum imagines formandas esse, quæ vel diversas sententias inchoant, vel res distinctas, maximeque inter se cohærentes significant: quæ enim ejusmodi,

ut naturali inter se vincta constructionis copula sint, eorum diligens memoria naturalis custos erit.

CAPVT

CAPVT XIV.

De removendis simulacris.

RErum earum, quas simulacris donatas hac arte ediscimus, duo sunt genera: unum stabilium & perpetuarum: alterum mobilium & temporarium. Erunt igitur illarum rerum, quas firmiter semper in memoria hærere volumus, loci & situ suo, ac figura, & qualitate imaginum uniformes ac immutabiles: harum verò quas excidere facilè patimur, simulacrorum varietate mutabiles, sibique semper dissimiles. Quare ut ad propositum veniam, simulacra quo pacto à locis usui quotidiano destinatis aboleri, dimoveri extirpariq; possunt, hoc capite ubi breviter ostenderim, finem huic libello imponam.

Primùm si rerum effigies, locis non firmiter admodum applicatæ fuerint, delebit eas breve temporis spatiũ. Præterea quemadmodum ad rem memoriç dandam, animi firma utimur applicatione, ita hæc ad eandem oblivione perpetua obruendam adhibenda erit. Ad hæc figuras à tonitru factas quassatasque, à fulmine tactas & combustas, à grandine discussas ac prostratas, ab imbre repentino ac præcipiti absterſas: ab unda-

ab undarum augmentatione ac fluxu à cubiculis penitus remotas, excogitare consultum est. Idem, homo unus vel plures ebrii, turbulenti, & furiosi præstabunt, si eos armata manu in cubicula irruere, magnoque impetu ac conatu, simulacra quæque præcipitare, forasque ejicere finxeris. Adhæc ancilla cubicula scopis verrens, imaginesq; locis suis forâs motas, unâ cum quisquiliis exportans, idem efficiet. Pictor tandem novum cubiculis colorem inducendo, figuras delebit omnes.



F. HIERO-

F. HIERONYMI MARAFIOTI POLISTINENSIS,

CALABRI THEOLOGI
Ord. Minorum observantiæ.

DE ARTE REMINISCENTIÆ per loca, & imagines, ac per notas, & figuras in manibus positas.

OPUS ET DELECTABILE, ET QUOD omnibus qui in cujuscunq; generis artibus & facultatibus benè memorare, vel ad Eruditionis culmen conscendere conantur, magno adminiculo esse potest.

PROEMIVM.

Simonidem ferunt, primò de Arte Reminiscentiæ opusculum compilasse, ejusq; doctrinam aliis communicasse; post quem Diagoram, Aristoxenum, Aristotelem, Ciceronem, aliosq; ad hæc usq; tempora plurimos cernimus circa hujusmodi artem suos exposuisse libellos. Et parùm quidem ab se invicem hujusmodi doctores dissident, nisi quòd (meo judicio) alia docendi methodo, verùm unus est omnium consensus, ut scilicet, priùs reperiatur universalis lo-

T *cus, in*

cus, in quo diversi particulares inter se aliquo signo differentes, per oppositas vivorum hominum imagines aliquid vel nutu, aut signo, aut habitu præsentantes Reminiscentiam omnium dicendorum causare valeant. Sensatus quidem talis est reminiscentiæ modus, & eò facilius apprehensibilis, quò verior illa philosophi ostenditur propositio, quod omnis humana cognitio in intellectu causatur à sensibus. Invenimus autem nos, & alium sensatiorem modum artis reminiscendi in quo per objectum semper præsens impossibile est (ut ita loquar) memoriam falli. Nam si juxta Aristotelem 3. de Anima, activo passivoq; debitè approximatis, & non impeditis necessariò sequitur actio; ita objecto sensibus approximato, actio causatur in parte intellectiva, qua facilè memoria ad ideam entis figurati descendit concipiendam, conceptamq; linguæ pronunciandam monstrat. Est igitur objectum duarum manuum integra præsentatio, cum suis figuris, figurationibusq; singulis quibusq; locis appositis. Mirum utiq; hoc videtur esse, ut parva tam humana manus, parvæq; in ventriculis digitorum figuræ, omnium dicendorum valeant reminiscentiam ministrare. Ast ubi experientia probabitur, quod mirum apparebat, facilimæ conceptionis esse videbitur. Nam per notas, [illegible] guras, quæ à nobis in sequentibus signabun[illegible] haud tantum materialia entia, & nomina aliquid significantia

gnificantia quisq; (licet mediocris ingenii) recitare valebit: verùm & dictiones penitus omnes significationis expertes, veluti sunt articuli, pronomina, interjectiones, cæteraq; hujus generis quàplurima. Et quod valdè mirabile ostenditur, per hujusmodi artem recitantur facilitate promptissima literæ, syllabæ, numeri, notæ musicales, puncta, commata, & quodcunq; humanâ se offert explicabile linguâ. Sit autem hoc loco bonus rogandus Lector, & quæcunq; in hoc libello scripta conspexerit, legat, relegat, perlegat, & eis iterum studeat, minutiasq; illas, inferius à nobis notandas observet attentè: appellatur enim hæc ars Reminiscentiæ, verùm nolentibus in eam optimam habere praxin, continuumq; in eam exercere laborem, & maximè in principio suæ institutionis: vocabitur ars perdendi reminiscentiam, quin & intellectum. Utiq; difficilimæ apprehensionis apparebit in principio, at cum in ea studens cœperit aliqualiter exerceri, haud tantùm videbitur facilis, sed & delectabilis, & apprimè ad sui studium allicere animum. At nos utiq; ut difficultatis specimen amoveremus ab ea, studendique ansam omnibus præberemus, faciliori ordine quo poterimus illam enucleabimus, primùm de locis, secundò de numeris, tertiò de figuris, & quartò doctrinam ad artem pertinentem annotantes.

DE ARTIS REMINISCENTIÆ LOCIS.

EVlius Camillus ſuæ arti Reminiſcendi locum quærens, delectabilẽ illam, omnibusq; curioſis intellectibus theatri ſui ideam reperit, quam pro univerſali loco memoriæ habens, particularibus illam diſtinxit mediis, variisq; Deorum imaginibus exornavit, ut eò promptior memoria fieret, quò diſtinctior ſit locorum, & imaginum apparentia. Alii verò hujuſmodi artis profeſſores, priſcam antiquorum Philoſophorum ſequuti doctrinam, pro univerſali artis loco, amphitheatros, palatia, monaſteria & hujuſmodi ſimilia ſibi elegerunt: in quibus per angulos, januas, feneſtras, cæterasque locorum differentias, particularium locorum capeſſerent ideam: quos cum vivorum hominũ, tam marium, quàm fœminarum imaginibus exornatos habuerint, ex illorum geſtu facilis reminiſcentia cauſetur. Nec nos à priſcorum doctorum methodis aberrantes, loca quærimus tum univerſalia, tum particularia, in quibus figuræ quædam cum ſuis imaginibus recitandorum ideas valeant memoriæ miniſtrare.

Vniverſalis locus artis.

Sit

Sit igitur quadripartius universalis locus, qui nostris regulis conjunctus, erit, utique unus; talisq; sit ambarum manuum facies quatuor. Particularia verò loca in eisdem manuum faciebus, erunt ventriculi digitorum, atq; volarum, interiùs, exteriùsq; consistentes. Qui numerum haud excedunt nonaginta duorum. Est nempe in unaquaque manu ventriculorum numerus viginti trium, qui quater assumptus ad nonaginta duo ascendit. Verùm hic aliquis *Dubitatio.* objiciet. Si omnis hujus loci ambitus, duo, & nonaginta possidet particularia loca, igitur cum quis oraverit, aut ad populum sermonem habuerit, nisi ad duo, & nonaginta conceptus, vel duo, & nonaginta verba, valebit protendere eloquutionem. Respon *Responsio.* detur utique, adeò fertilem esse hujus artis agrum, quòd per varia signa à nobis inferius declaranda, multiplicantur loca, ita ut in infinitum valeant produci. Enumerantur autem loca hæc particularia ordine suo, unum post aliud, ut infra patebit in figura numerorum. Animadvertendum est autem, quod qui de arte reminiscentiæ scripserunt, voluerunt utiq; à dextera locorum particularium parte illam exordiri, optima siquidem ratione fulti: nam sicut dextera *Memoriæ locorum & imaginum.*

pars corporis expeditior fit ad quodcunque opus exercendum, ita per dexteræ partis corporeæ decursum, expeditior evenit memoria, quia ibi inclinatior est ad percurrendum omnia promptè: hæc verò quæ à nobis in manibus imaginariè datur, à primo ventriculo pollicis sinistræ manus sumit exordium, nam eo, modo quo in scripturis utimur, à dextro ad sinistram procedere, quod si eversò fieret, inconsona literarum supputatio evaderet; ita si alio ordine quàm à sinistris ad dexteram hujus artis initium sumpserimus, inconsona, deformisq; omnino eveniret figurarum ponendarum locatio. Tentavimus nempe aliquando, ut quorundam satisfaceremus opinionibus, ab ungue pollicis dexteræ manus illam exordiri, at vel quia usum habebamus à sinistra, unde ex continuatione exercitii eramus habitum artis adepti, vel quia deterius fit ordinis initium à dextris, quàm à sinistris, unde meliorem ordinem experti sumus, vel alia sit quæcunque causa, per dexterinum ordinem non possumus proficere. Cum ergo reminiscentiæ artem quis addiscere cupierit, accepto universali loco, videlicet, palatio, domo, similique, ubi per aliquas differentias angulorum, columnarum, & similium,

Memoria locorum & imaginum.

lium, optimum est initium à dextris locorum ordinem incipere: In hac autem quæ in manibus à nobis traditur sit ordinis initium à sinistris, ut superiùs diximus, & infra clarioribus exemplis ostendamus. Circa distantias verò locorum particularium eligendas, variè sunt opinati doctores, qui hujuscemodi artem per imagines edocuerunt: etenim sufficere dixerunt aliqui, tantùm quinque distantiæ pedes ab uno loco ad alium, alii dixerunt octo, alii sedecim: sed cum in nostræ juventutis initio tali uteremur arte, distantiam locorum juxta tales mensuras attentè observari debere, nihil, seu parùm proficere experti sumus, eò quòd diversitas locorum, per signa columnarum, angulorum, fenestrarum, & similium facilimè præsentatur memoriæ, potiùs per suas differentias, quàm per debitam loci distantiam: nam si imago una locatur in angulo januæ, exteriori, scilicet, parte, potest & altera imago in interiori ejusdem januæ parte collocari, sicut videantur imagines sibi invicem aversæ tantùm per intermedii parietis distantiam; talesque imagines memoriæ objiciuntur perfectissimè, ut satis liceat cuique experimento comprobari. Ex quo patet distantiam tantùm locorum

Authoris ordo.

Distantiæ locorum pro imaginibus.

Differentiæ locorum sufficiunt pro distinctione magis quam distantiæ.

obſervari debere; non autem in tanta commenſuratione diſtantiam. Dicam utique ubi locorum diſtantia obſervanda neceſſariò eveniat: ſcilicet cum in longitudine nimia alicujus parietis, ubi neque angulus: neque columna, neque aliud quidpiam ſignum adeſt, locandæ ſunt, verbi gratia, tres imagines, aut quatuor, in tali caſu obſervabis, ut ſint diſtantes loci imaginum ad minus ſedecim pedibus, ne fortaſſe nimia imaginum vicinitas memoriam confunderet, nam hi loci, qui ſenſatim diſtantes videntur, in ideam viciniores ſe præbent, & ſi pro talibus imaginibus locandis ſigna locorum deficiunt, ſunt fingenda, vel in pariete carbone notanda, veluti columna, corona, avis, & ſimile quodcunque. Hæc igitur doctrina benè obſervanda eſt in locis ubi imagines collocandæ accidunt. Diſtantia autem locorum, qui in manibus conſiſtunt, tot quidem caret obſervationibus, etenim inter locum, & locum nullum datur aliud ſpatium, niſi lineæ illæ junctarum, illas ad invicem diſtinguentes, & ita fit, ut in quolibet digito interiùs exteriusque conſiderato, octo reperiantur particulares loci. In volis etiam eorumq; poſticis, diſtinctio locorum facillimè noſcenda ſe offert, tùm ob lineas,

Diſtantia locorum manus.

ob lineas, tûm ob distinctionem figurarum ibi consistentium. Habes ergo ex his exactam locorũ artis reminiscentiæ notitiam.

DE QUALITATIBUS Locorum artis.

MAgis evenit in arte reminiscentiæ per loca, & imagines inventa, qualitas locorum observanda, quam aliud quodcunq;. Siquidem fugitavère sæpè prisci artis institutores loca nimis lucida; eò quòd, vel nimia luce memoria fit imbecillis, sicut oculus ad lumen solis, vel ad albedinem nivis: aut nimia luce superfusa, omnes simul imagines videt confunditurque, evadendi fuit etiam mos sæpissimè loca nimia obscuritate confecta: nam talis est idea tenebricosi loci apud memoriam, quales tenebræ corporales oculos ne videant offuscant. Si namq; apertioribus oculis etiam in die vix in obscuris consistentia cernuntur, quomodo poterit memoria in obscuris positarum imaginum sibi causare ideas? rectè ergò loca elegerunt non nimis lucida, nec nimis obscura. Dicam autem quod sentio pro temperamento obscurorum, lucidorumque locorum, sicut nempe fingenda sunt signa pro

Locorũ qualitas observanda.

Nimis obscura & nimis lucida loca quomodo temperantur.

locorum differentiis, ubi veræ differentiæ non adsunt; sic fingenda sunt aliqua quæ lucida nimis aliqualiter obscurent, & obscura nimis aliqualiter illuminent. Cum igitur in atrio nimis solaribus radiis referto locandæ sunt imagines, ne nimia luce memoria confundatur, finge tibi umbraculum, universum atrium contegens, & sic habita solis remissa luce, distinctionem imaginum habebis perfectissimam. Si verò contigerit in aliqualiter obscuro loco, imagines debere locari, ut memoria faciliùs ideam capiat, finge tibi ignem in medio ardentem, cujus beneficio luminis imagines facilimè conspiciuntur. Hæc optimè observari debent in reminiscentia quæ per imagines adipiscenda se offert, Tot autem locorum qualitates in manibus minimè sunt observandæ, cum nimia familiaritate innotescunt; & ideò haud alia accidit observanda qualitas, nisi quod tantum spatii debent occupare figuræ illæ, quæ in ventriculis digitorum, & posticis eorum locantur, quantum & illæ quæ in ventriculis volarum, & posticis eorum consistunt, & è converso, quod quidem infra per exempla patebit.

DE

DE FIGURIS ARTIS ET qualitatibus earum, & de exercitio addiscentis circa illas.

SIcut in hac nostra reminiscẽdi arte figuris utimur, ita prisci authores, quos sequuti neoterici, usi sunt imaginibus, quas vivas, & notissimas esse oportere docuerunt, ac etiam inter se differentes, non tantùm sexu, & ætate, verùm & habitu, ac exercitio vitæ. Hinc puto haud rectè dixisse eos qui in arte dixerunt imagines omninò nudas, & aversa facie debere locari. Si etenim nudæ sint imagines, earum differentiæ videri nequeunt: ponatur scilicet, quod sint Ioannes, & Antonius ejusdem ætatis, puberatisq;, si nudæ sint imagines eorum, disparitas inter eos, vix per ideá reminiscentiæ discerni potest. Idem evenit si duæ locantur puellæ virgines, vel duæ matronæ ejusdem ætatis & corporeitatis, vel duo pueri, inter quos licet sit aliqua intermedia persona, illos distinguens, vel puellas, aut matronas ab invicem separans; tamen ipsarũ nuditate memoria confunditur. Fit etiá ut si imagines illæ non sunt vivæ, & ignotorum hominum, ignotarumque mulierum, memoria, vel ignotas non noscat, vel fato extinctas non videat.

Imaginum locandarum differentiæ.

Locentur

Locentur ergo in particularibus locis imagines vivorum hominum, ac mulierum sintque omnes ex notissimis, amicissimis, ac penè ex familiarioribus, ut fiat memoria promptior: accidit enim ut retardetur memoria quandoque in recitando ob defectum indispositionis locorum, vel non assuetæ cognitionis imaginum. Quod si aliquis instat: Non valens tot amicos & notos habere quomodo perveniet ad studium artis, quando multitudo locorum, & imaginum ei necessaria est? dicam illum oportere civitatem percurrere, & juvenes inspiciat, puellasq; quas formosissimas æstimaverit, diligenter contempletur, & sufficit si tantùm semel eas loqui audierit, vel ridere viderit, aut deambulare conspexerit, ut possit corporis motus, gestusque notare: tales enim postea per frequentationem artis notissimæ fient, eruntque apud memoriam, præsentantes quodcunq; præsentabile. Sint etiam nudæ imagines, non nuditate corporis, sed nuditate gestus, & figurationis, ut valeant figuratione, & gestu semper indui necessariò, pro reminiscentiæ idea. Et si hoc sensu prisci doctores de nuditate loquuti sunt imaginum, eos rectè dixisse fatendum est. Oportet etiam ut in locis suis sint

Quæ imaginum notitia necessaria est.

imagines

imagines erectæ, ſtantes, nil curvæ, vultu demiſſo, manibus junctis, ut nihil præſententent, niſi ad tempus, (ut infra dicemus) & facie verſus memoriæ artificem; ſi etenim averſis faciebus ſtarent ad parietem, utiq; artifex non poſſet eas ſtatim cognoſcere, niſi eas vocaret, ut verterentur, & per motum imaginis fortaſſe obliviſceretur memoria, quia tunc motum videns, amittit ſignificationis poſitæ ideam. Hinc majores noſtri dixerunt imagines ab aliis mobiles, & ex ſeipſis, motivas debere eſſe, ut motu, geſtu, nutuque aliquid in mente artificis imprimant. His igitur conditionibus exornatæ imagines, admirabilem reminiſcendi anſam miniſtrant, apud eos qui reminiſcendi artem per loca, & imagines acquirere ſatagunt. At artis figuræ, quæ in manibus ſunt, tot prædictis conditionibus carere comperimus, aliquas tantùm neceſſariò ſuſtinentes. Sunt ergo hujus artis figuræ numero viginti tres, ad numerum literarum alphabeti, & tribus, atque viginti locantur locis, in unaquaq; ambarum manuum facie. Differunt inter ſe figuratione, ſitu, & ordine, quarum nomina juxta proprietatem figurationis, hæc ſunt. Figura prima dimidio orbe cæſa, luna vocatur; ſecunda, circulus: tertia

Imagines quomodo ſituandæ.

Numerus figurarum artis.

Figurarum artis nomine.

tertia, triangulus: quarta, annulus: quinta, circulus cornutus: eò quod duo cornua in una parte habet: ſexta, quadrangulus: ſeptima, ſemicirculus: octava, Π græcum: nona, arcus: decima, figura ovalis: undecima, baſis Ionica: duodecima, vallis plana: tertiadecima, figura vaſis: quartadecima, litera G majuſcula: quintadecima, litera D majuſcula: ſextadecima, circulus inciſus: decimaſeptima, ſcutum regale: decimaoctava, litera P majuſcula: decima nona, circulus ſuper baſim: viceſima, pyramis obtuſa: viceſima prima, ypſilon: viceſima ſecunda, anguis: & viceſima tertia, Q. litera majuſcula. His certè nominibus placuit appellare figuras, ut ſic valeant per propria nomina diſcerni. Diſcernuntur etiam ab invicem propria ſpeciei diverſitate, nam unaquæque altera, ab altera ſpecie differt, ut intuenti apertiſsimè patet. Sunt & aliæ duæ differentiæ, altera ſecundùm ſitum, & altera ſecundùm ordinem. Situ quidem differunt, pro quanto ipſarum quædam in ventriculis digitorum ponuntur, & poſticiseorũ, & aliquæ in volis manuum, eorumque oppoſitis regionibus. Differunt etiam ordine, quia prima luna, ponitur in primo ventriculo pollicis ſiniſtræ manus: ſecunda luna ponitur in ungue

Figurarum artis differentiæ.

in ungue auricularii sinistræ manus: tertia luna sistitur in ungue pollicis manus dexteræ: & quarta luna locatur in ejusdem manus ventriculo auricularis; post lunam verò cæterarum figurarum ordo servatur dissimilis: pro quo sit regula hæc universalis, quacunq; exceptione amota ut figura quævis quatuor occupet locellos: hac scilicet dissimilitudine, ut si in manu sinistra intrinsecus figurata, à ventriculo pollicis incipiendo: figurarum ordo descendit ad volum, & à volo elevatur usque ad auricularii ventriculum, interiori tamen ejusdem manus parte initiũ sit ab ungue annularis, usq; ad unguem pollicis. Cum autem ad dexteram accesseris, ab ungue pollicis figuræ descendunt ad appositum volæ, & ascensum habent usq; ad unguem annularis ejusdem manus: cum autem in interiori facie ejusdem manus intraveris, lunam locabis in ventriculo auricularis, & eodem quo processisti ordine in exteriori facie sinistræ manus, procedes in interiori dexteræ. Hæc omnia subjectæ figuræ apertissimê indicabunt. Quantum verò spectat ad exercitium addiscentis, aperiã: nam juxta philosophicum illud, videlicet, quod ex frequentatis actibus, acquiritur habitus: est animadvertendum,

Regula universalis pro situ figurarum.

tendendum, quod plures requiruntur in hac arte actus prævii, ut posit de facili habitus adipisci. Vnde & majores nostri in ea reminiscendi arte quæ per loca fit, & imagines, propterea imagines illas in planis constituerunt locis, & infimis, ut possint faciliùs videri, vocari, & tangi, quandocunq; in eis hoc fieri oportuerit. Atque ut perfectiùs de propositis imaginibus reminiscentiam habent, differentias, distinctionesque in ordinibus personarum constituerunt. Personarum igitur differentias, distinctionesque dicimus attendendas, hoc ordine, videlicet, ex dignitate, ex virtute, ex officio, ac ex quovis hujuscemodi simili. Ex familiaritate sic, ut primo loco personam tibi magis dilectam ponas, quia hæc magis objicitur mentis oculis, sitque talis, aut pater, aut mater, aut soror, aut frater, aut uxor, vel puella pulcherrima, quam perditissimo amore prosequaris, hæc enim vim habet maximam primo mentis oculis præsentare ideam. Constituta ergo hac in primo loco, advenit secunda locanda persona: in qua sexus differentia consideranda est, ut si in primo loco marem posuisti in secundo fœminam, & è converso, scilicet, si in primo loco

Alia circũstantia loci observanda

Imaginum conditiones, & ordo.

loco fœminam locasti, in secundo marem locare debes. Tertio loco consideranda est ætas, sic ut si præcedenti loco posuisti senem, in sequenti ponas adolescentulum, vel puerum. Quarto loco consideranda est nobilitas, ut si adolescens, vel puer, quem posuisti tertio loco fuit infimæ conditionis, in sequenti, scilicet, quarto ponas virum nobilem, ex præclarioribus civitatis. Quinto loco est attendenda dignitas, ut si quarto loco secularem hominem posuisti, in quinto Episcopum, aut Religiosum aliquem ponere tenearis. Sexto loco est attendenda virtus, ut scilicet, tali loco ponas doctorem, vel musicũ, aut quempiam talium. Et septimo loco consideratur officium, seu artis exercitium, ut tali loco ponas aratorem, aut pastorem, vel talium quemvis, quibus suo ordine põsitis, redeas ad positionem sequentium personarum ut supra, semper hoc animadvertendo, ut primo quoque loco post cæterarum personarum locationem, sit unus, vel una ex tibi familiarissimis. His ergo per omnia sic ordinatis, continuum requiritur circa talia exercitium, videlicet, ut quotidiè, terque, quaterque, omnia suo debito ordine mente percurras; accedas ad propria loca, tangas, videas, vocites, & moveas ve-

veas veluti si ibi propria vita viverent. Hoc idem fieri debet in figuris, quæ in manibus pro artis perfectione ponuntur, quotidiè etenim, haud tantùm septies, octiesque, sunt illæ memoria percurrendæ, verùm & quindecies, atque si fieri potest, vicenis vicibus excogitandæ, tùm recto, tùm retroverso ordine, verbi gratia, à luna incipiendo usque ad ultimam figuram, & è converso. In hujusmodi quippe exercitatione, tota consistit hujusce artis basis; & fundamentum, cætera verò quæ in hujusmodi figuris observanda occurrunt, in sequentibus declarabuntur. Subjecta tamen schemata ordinem figurarum in unaquaq; manu locandarum ostendent. Nec mireris si duas tantùm figuras ponimus, videlicet, interioris, exterioriſque siniſtræ, quia eodem ordine procedendum est etiam in dextera, hac tantùm differentia observata, ut ab ungue pollicis in ea sit exordium.

Exercitium continuũ in figuris artis.

Siniſtra

Sinistra in interiori parte.



V 2 Posticus

Posticus sinistræ manus.



DE

DE HIS QUAE FIGURANDA eveniunt in universa Reminiscentiæ arte.

VSque modò quæ diximus, & facilima sunt pro intelligentiæ captu & notissima, ut ad praxis perfectionem reducantur. Quæ verò sequuntur diligentiori sunt animadvertenda judicio, & primò quæ sunt in figuris, & imaginibus locanda enumerabimus, secundò modum collocandi illorum aliqua, ostendemus. Hoc unum autem ante omnia considerandum advenit, quod ut infinitorum singularium confusionem evitemus, genera quædam, speciesque tantùm annotabimus, ut inde sumptis exemplis, ad particularia suo proprio marte perveniat quisque locanda. Haud etenim tantùm difficile hoc esset, quæcunque lingua pronunciari valent enumerare, verùm & impossibile: hinc nos rerum divisionem (non completè: sed ut necessitas expostulat) facimus, singula membra divisionum declarabimus, ac declarata propriis signabimus figuris. Ordo igitur talis sit.

Omnia quę ore pronunciantur, vel { Nihil significant. / Aliquid significant.

Nihil significá-tia, aut sunt
- Literæ, syllabæ, articuli, conjunctiones, pronomina, accentus, & similia.
- Risus, cachinni, balatus, boatus, & similia.

Aliquid significantia aut sunt
- Verba.
- Nomina.

Verba aliquando ostendunt, vel
- Actionem in aliquo.
- Passionem ab aliquo.
- Actionē simul & passionem in seipso.

Nomina sive propria, sive appellativa, referuntur vel ad
- Substantiā.
- Accidens.

Substantia, aut est
- Corporeitatis expers.
- Corporeitati obnoxia.

Quæ omni penitus caret corpore, aut est
- Deus.
- Angelus.
- Anima.

Deus triplici distinctione gaudet
- Pater.
- Filius.
- Spiritus sanctus.

In qualibet divina persona considerat
- Essentia.
- Vnitas.
- Veritas.

In Angelo

In Angelo considerantur { Hierarchia. Ordo. Nomen.

In anima triplex fit consideratio { Rationalitatis. Animalitatis, secundùm sensum. Vegetationis.

Substantia corporalis consideratur in { Cœlo. Elementis. Animantibus. Plantis. Mineralibus.

In cœlo habent considerari { Figura. Motus. Sidera. Aspectus. Influxus.

In figura qualibet considerantur { Lineæ. Anguli. Rectitudines. Curvitates.

Motus considerabitur si est { Continuus. Tardus. Velox.

In sideribus habent considerari { Lumen. Obscuritas, sive Eclypsis. Pro

Pro obscuritate verò, fit consideratio in syderibus de { Distantia. Vmbra.

Aspectus in syderibus respicit situm. { Rectitudinis. Retrogradationis. Oppositionis.

Circa influxus syderum advenit considerandi { Benignitas. Malignitas.

In substantia elementari fit discursus ratiocinandi circa { Ignem. Aërem. Aquam. Terram.

In igne respicitur { Levitas. Ardor.

In aëre occurrit sæpè loquutio de { Nubibus. Pluviis. Grandinibus. Glaciebus. Nivibus. Tonitruis. Coruscationibus. Rore. Iride. Halone. Serenitate.

In aqua

In aqua declarantur
- Flumina.
- Fontes.
- Lacus.
- Aquæ ductus.
- Canales.
- Corpora chriſtallina.
- Translucida, ſeu diaphana.

In terra animadvertitur
- Cos.
- Lapis.
- Arena.
- Gypſum.
- Calx.
- Sal cujuſcunque generis.

In ſubſtantia animaliũ fit diverſificatio per plura genera, nã omnia animalia ſunt.
- Aquatilia.
- Volatilia.
- Terreſtria.

In aquatilib. occurrunt
- Serpentes.
- Piſces.
- Et carentia capite, ut ſunt
  - Cancri.
  - Lericii.
  - Oſtreæ.
  - Conchilia.
  - Locuſtæ, &c.

In volatilibus est copiosa multitudo, sed ad exempla figurationum capessenda sufficiant hæc,

- Phœnix.
- Aquila.
- Pavo.
- Accipiter.
- Columba.

Interrestribus animalibus multiplicem habemus differentiam, scilicet

- Hominum.
- Cicurum.
- Ferarum.

In hominibus sunt plura considerandæ, scilicet

- Sexus.
- Potestas.
- Dignitas.
- Conditio.
- Officium.

De sexu, utrum sit

- Masculus.
- Fœmina.
- Androgynus.

De potestate advenit loquutio circa

- Reges.
- Principes.
- Duces.
- Proreges.
- Iudices.
- Consiliarios.
- Carnifices.

De

De dignitate, quia est
- Pontifex.
- Imperator.
- Rex.
- Cardinalis.
- Episcopus.
- Presbyter.
- Religiosus, monachus.

De conditione quia est
- Nobilis.
- Ignobilis.
- Virgo.
- Vidua.
- Nupta.
- Meretrix.

De officio seu vitæ exercitio, quia est
- Doctor juris.
- Medicus.
- Miles.
- Venator.
- Architectus.
- Nauta.
- Musicus.
- Mercator.
- Arator.

In considerationecicurum, & ferarum, hæc pauca pro nunc signantur, nam de cicuribus habemus.
- Equos.
- Boves.
- Asinos.
- Camelos.
- Bubalos.

De feris

De feris,
- Leonem
- Leopardum.
- Tygrim.
- Vrſum.
- Lupum.
- Lyncem.

Plantarum diſtinctio parva eſt, omnes enim plantæ ſunt
- Herbæ.
- Frutices.
- Arbores.

Nomina plantarum ſignabuntur in imaginibus, & figuris, aut per propriã ſpeciem repræſentatam, ab imaginibus in locis memoriæ conſiſtentibus, aut juxta regulam, quam dabimus de propriis nominibus hominum, quando recitandi occurrunt.

Mineralia verò hac diſtinctione inter ſe diſtinguuntur, ſcilicet
- Aurum.
- Argentum.
- Plumbum.
- Stannum.
- Æs.
- Ferrum.
- Argentum vivum.

His igitur ſic breviter circa ſubſtantialia conſideratis, eſt etiam ſciendum, quòd nomina vertuntur ad expreſsionem accidentium, & antequam ad iſtorum conſiderationem accedamus, ſciendum adeſt, omnia creata entia tribus terminis conſtituta eſſe.

Sunt

Sunt etenim, vel in
- Principio, medio & fine.
- Concordantia, differentia, & contrarietate.
- Majoritate, minoritate, & æqualitate.

Accidentia tamen à cunctis philosophiæ sectatoribus novem esse ponuntur, ipse autem de mente Iohannis Duns Scoti, addam omnium rerum intentiones, & sic decem ordinibus distingunutur.

Ordo quidē talis est,
- Quantitas.
- Relatio.
- Qualitas.
- Actio.
- Passio.
- Situs.
- Vbi. Quando.
- Habitus. Intentio.

Quantitas duplicem habet modum figurationis, eò quòd ipsa in duplici differentia reperitur, scilicet qua est
- Continua.
- Discreta.

In quantitate continua fit ratiocinatio de
- Magnitudine, seu spatio.
- Superficie.
- Linea.
- Puncto.
- Motu.
- Tempore.
- Et temporū differentiis.

In quan.

In quantitate discreta accidit facienda discussio de
- Numeris.
- Proportionibus.
- Consonantiis.
- Tonis.
- Semitonis.
- Diesibus.
- Lemmatibus.
- Mensuris.
- Ponderibus.

Sunt etiam quædam quanta, quæ non possunt exprimi talia esse, nisi suæ considerentur relationes, eò quòd non ex se sic dicuntur, sed respectu alterius, veluti,
- Magnum.
- Parvum.
- Multum.
- Paucum.
- Excessus.
- Defectus.

Sunt insuper & alia quanta, quæ ex propria natura sunt quanta, sed exprimuntur per qualitates, ut
- Asperum.
- Lene.
- Molle.
- Durum.

In relationibus etiam accidit discursus ratiocinandi, vel respectu causæ ad effectũ, vel respectu fundamenti, & termini, vel respectu

ſpectu poſitionis ſive ſitus. Quando igitur fit conſideratio cauſæ ad effectum, eſt veluti ſi accideret loqui de

- Creatore.
- Creatura.
- Movente.
- Mobili.
- Scientia.
- Scibili.
- Præmiſſis.
- Concluſionibus.

Fundamenta verò relationum, earumq; termini occurrunt, quando in oratione fit diſcurſus de

- Patre.
- Filio.
- Sponſo.
- Sponſa.
- Cæterisq; ſimilibus.

Relatio verò quæ reſpicit poſitionem, tunc evenit, quando fit diſcurſus, de his quæ pertinent ad differentias locales veluti

- Dexter.
- Iniſter.
- Ante.
- Retrò.
- Surſum.
- Deorſum.
- Propè.
- Longè.

Aliquæ

Aliquæ adhuc relationes occurrunt, de quibus in regula prædictorum à nobis assignanda, validissima sumi potest methodus illa figurandi, tùm in imaginibus, tùm etiam in figuris manuum.

Quæ verò ad qualitates pertinent, hæ quidé duplici modo habentur, sunt etenim animæ qualitates, seu quæ ad animam referuntur, & quæ ad corpus: verùm illæ, quæ animã respiciunt, aut sunt virtutes, aut vitia. Virtutes tamen hoc modo enumerãtur:

- Fortitudo.
- Iustitia.
- Prudentia.
- Temperantia.
- Fides.
- Spes.
- Charitas.

Vitia adhuc capitalia septem designantur:

- Superbia.
- Avaritia.
- Luxuria.
- Ira. Gula.
- Invidia.
- Acedia.

Sunt etiam & aliæ qualitates in anima, scilicet

- Oblivio.
- Insania.
- Timor.
- Iudicium temerariũ, & aliæ his similes.

Quæ

Quæ autem circa corpus sunt qualitates, respiciunt.

- Pulchritudinem.
- Deformitatem.
- Infirmitatem.
- Sanitatem.
- Caliditatem.
- Frigiditatem.
- Et cujuscunq; generis calorẽ.

De actione, & passione si advenit loquutio, cum jam ipsa juxta Aristotelem sint unus motus, habet considerari uterque terminus, veluti in relationibus, semper enim actio fit super passum, verbi gratia.

- Si est verberans,
  - Si verberativũ, verberabile.
  - Si amativũ, amabile.
  - Si desiderativũ, desiderabile, &c.
- Est verberatum.

- Si comburens,
- Datur combustum.

- Si est docens.
- Reperitur addiscens, & sic de cæteris.

Situs respicit differentias locales, de quibus jam dictum est supra in relationibus: easq; etiam respicit prædicamentum Vbi.

Prædicamentum, quando refertur ad differentias temporis, scilicet

- ad Annum.
- Mensem.
- Diem. Horam, &c.

Respicit etiã prædicamentũ habitus, ad esse

- Armatum.
- Indutum.
- Nudum. Seminudum.

Intentiones verò, & omnia quæ fiunt circa animam, primò referuntur ad potentias substantiales animæ, scilicet

- Intellectum.
- Voluntatem.
- Memoriam.

Deinde circa ipsas potest discursus occurrere de

- Intentionibus.
- Phantasmatibus.
- Somniis.
- Illusionibus nocturnis.
- Visionibus.
- Prophetiis, &c.

Ex omnibus his ergo, quæ sic breviter collegimus, exempla sumi debent, ut & quęcunq; recitanda veniunt, eadem methodo figuranda sint. Modum autem figurationis aliquorum ex prædictis, ab his quæ nihil significant incipiendo declarabimus. Hæc

sequentia

sequentia exempla sufficiant, ex quibus artifex, seu artis sectator, ad propriam recurrat inventionem.

QUOMODO SUNT FIGURANDÆ Literæ, Syllabæ, Articuli, Conjunctiones, Præpositiones, Pronomina, Adverbia, & his similia, in utraq; Reminiscentiæ arte.

EO quòd nunc majus opus movendum occurrit, scilicet, ut modum figurationis omnium prædictorum doceamus, ut ex his benè notis exemplis, possint & cætera figuranda figurari; iterum sit hîc monitus lector, ut animadvertat nos utramq; docere artem, eam scilicet, quam majores nostri per loca, & imagines instituerunt, eamq; etiam, quam nos per figuras in manibus positas adinvenimus, & in concionibus nostris quotidiè utimur. Et ideò de figurationibus figurandorum in locis, & imaginibus tractabimus; ac deinde de illorũ figurationibus, quę in manibus figuranda eveniunt sermonem habebimus. Figurationem igitur literarum, duabus & viginti figuris, possum facilimè constituere: incipiendo ab A, usq; Z,

Literarum designatio per figuras artis.

hoc modo. A, figuratur in instrumento illo perpendiculi, quo fabri lignarii utuntur ad commensurationem æqualitatis planæ, veram habens imaginem literæ majusculæ A, vel potest figurari in circino, in cujus medio sit axis illud continens apertum, ut sensu patet in circinis æreis. B figuratur in instrumento illo ferreo, quo pedes hominũ claudunturin carcere, vocaturque compes ferreus. Ad figurandum C, potest figurator uti cucurbita oblonga, & curva, vel fragmine peponis dimidio orbe cæso. Ad figurandum D, sufficit compes ferreus simplex, quo pes hominis vincitur in triremibus. Pro figura literæ E, satis sufficiens est seca illa, qua ligna secantur, completa tamen cum cordula, & duobus hinc inde manubriis. Pro F, convenit figura falcis. Pro G, benè convenit anguis capite recto, & cauda gyrum faciens. H, potest figurari per eandem imaginem, quæ in loco artis posita est, ut hoc tamen sit gestu dispositæ, scilicet, erecta, brachiis surſum versus extensis, pedibusque juxta rectitudinem femorum dilatis. Pro figuratione I, sufficit columna. Pro K, locari potest instrumentũ ligneum ejusdem figuræ. Literæ L, conveniens figura est securis, M, optimè figuratur in imagine loci,

loci, quando imago illa manibus junctis manet inclinata deorsum, cervice terram tangente, & pedibus hinc inde dilatis, aut inclinata, manibus extensis ad pedes, vel manibus junctis in medio amborum crurum, potest etiá figurari in tripode scamno. Pro litera N, potest imago duos habere baculos, quorum extremitates terram tangant, ipsique erecti altera extremitate tangant utrunque harmum hinc inde, quibus extremitatibus stet innixa imago. O, facilis est figurationis, quia pro eo sufficit circulus cujuscunque materiæ confectus. P, & Q, una tantùm sunt figura contenti, scilicet Episcopali baculo, qui si extremitatem suæ curvitatis habebit à sinistris faciet figuram Q, si habebit à dextris faciet figuram P. Litera R, figuratur in instrumento ligneo talem similitudinem habente. S, fit in angue tortuoso. T, figuratur in malleo. V, figuratur in circino, cujus duæ cuspites sursum versus sint, & caput deorsum. X, signatur per crucem. Y, per furcá. Et Z, per ligneum quadrantem, quod in inversionibus suis talem possit in se ostendere figuram. Cum ergo hæ sunt literæ collocandæ, tales prædictæ figuræ sunt in manibus imaginum in locis suis consistentium collocandæ. His

autem literis adveniunt suæ vocales, seu suæ consonantes, sicuti necessitas expostulat, ut ex eis syllabæ formari valeant. Quarum syllabarum compositio facilis est apud imagines: nam si in dextera manu imaginis consistentis, in loco suo ponetur figura lignei perpendiculi quæ figurat A, & in sinistra ejus dabuntur compedes ferrei, qui faciunt, figuram B, utique ex una figura, & altera, statim advenit reminiscentia syllabæ, ab: si verò syllaba recitanda non erit ab, sed ba, tunc mutanda est figura, & quæ erat in dextra, locabitur in sinistra, & quæ in sinistra ponetur in dextera, & tunc sic dispositæ figuræ reminiscentiam causabunt syllabæ, ba. Atque hoc modo dispositis figuris, apud omnes imagines in locis suis permanentes species ostendentur quarumcunque syllabarum. Articuli etiam, Conjunctiones, & Præpositiones, quoniam ut sæpiùs, ex tribus constant literis, tribus figuris in eadem imagine possunt designari, verbi gratia, si articulus erit latinè exprimendus in genere neutro videlicet, hoc: tunc imago brachiis sursum extensis, & pedibus dilatis figurabit H: circulus in dextera manu figurabit O; cucurbita oblonga, & curva, in sinistra manu figurabit C: ex quibus articulum compositum

Syllabarum compositio per figuras artis.

Articulorum designatio in imaginibus.

positum significans HOC, si autem articulus erit vernaculo sermone recitandus, verbi gratia, dal, tunc imago posita in locis habebit in dextera compedem ferreum, gerentem figuram D: in pectore habebit circinum appensum, cum axe medio figuram ostendentem literæ A: & in sinistra manu habebit securim ex manubrio pendentem, designantem literam L: ex quibus sic præsentatis figuris in imaginativa, statim concipit memoria compositũ articulum DAL, & sic fit in omnibus pronominibus, scilicet, ego, tu, ille, meus, tuus, suus, &c. Et Adverbiis, ut, hîc, illic, ubi, nunc, &c. Hoc siquidem figurandi modo, satis expertus sum in concionibus meis nunquam posse penitus memoriam falli: animadvertat autem artis sectator, ut sæpiùs in hujusmodi figuratione se exerceat, ut possit valentiùs in arte proficere. Et hæc de locatione prædictorum in imaginibus satis declarata censeantur. In figuris verò, quæ in manibus habentur, posset item fieri eadem literarum designatio, sed quoniam figuræ in ventriculis digitorũ, volarumq; positæ aptiores sunt ad ostendendam ipsammet literam, quàm aliquod literam figurans: propterea comperti sumus, quòd litera in figura descripta, facilimam

Modus figurandi literas in manibus.

facilimâ reddit sui ipsius reminiscentiam, Nec dedignetur animus addiscentis, sæpiùs in figuris literas collocare, atque intrà se pervoluere, omnem semper literam variando in unaquaque figura. Exempli gratia, si in luna quæ manet in prima pollicis sinistræ manus ventriculo, pro una vice posuit A, & in circulo sequente lunam posuit B, mutata vice ponat in luna B, & in circulo A, deinde in luna C, & in circulo D, & sic in omnibus figuris commutando literas: nam cujuslibet literæ, una quæque est capax figura. Possent etiam & syllabæ & articuli, & alia quæ paulò supra notavimus, pro qualibet sui litera distinctis locari figuris, verbi gratia, si syllaba erit ba, in luna ponatur B, & in circulo A, & tunc duæ figuræ unam dabunt syllabam; & tres, aut quatuor figuræ, unum designabunt articulum, unde licet non esset difficultas in recitando, esset tamen tarditas in memoria concipiente; & propter hoc duximus, ut sicut in antedictis imaginibus sufficiens est una imago, ad ostendendum syllabam unam, vel articulum unum: sic una, & eadem figura in manu, plures præsentet combinatas literas ad syllabæ, vel articuli formationem. Sit igitur ordo talis: litera A, in figura absolutè posita, aliud non signet nisi A,

Compositio syllabarũ et articulorum in manibus.

nisi A, si verò virgula una interciditur A, ut patebit in sequenti schemate, tunc non significetur in ipsa A, tantùm, sed pro artificis arbitrio dicat ab, vel ad, ut sermonis loquutio expostulat, nam apud rectè intelligentem fit hæc differentia inter ab, & ad, in rectitudine regulati sermonis: & sufficit ut illud signum præsentet memoriæ reminiscentiam, quod debet incipere ab, a. distinctio verò inter ab, & ad, fit ab artifice per regulas rectè loquendi. Ac eodem modo fit in eisdem figuris designatio omnium Articulorum, Præpositionum, Adverbiorum, & similium. Schema verò sequens in literis simplicibus ostendit figurationem literarú absolutè, in literis autem incisis figurationes demonstrat syllabarum, ac omnium illorum, de quibus paulò ante loquebamur. At si facilior artem addiscenti videbitur, prima figuratio literarum, & syllabarum, ea utique utatur; nos autem sciat hac ultima uti tanquam sensatiore, illa etenim sensatior est in imaginibus, hæc verò in figuris.



Hoc

HOc item modo fit in omnibus elementis literarum, literas, syllabas, articulos que designaturis. Verùm hic dubitabit aliquis, nam multoties posset æquivocatio incidere, ob similitudinẽ principii, unde syllabæ atque dictiones sumunt prolationem, verbi gratia, si recitanda evenient verba hęc: ab Antonio aurum accepi, utique omnia hæc initium habent ab a, & si quater ponetur a in quatuor figuris sibi invicem consequentibus, ob æquivocationem memoria decipietur. Vt ergo tollatur hujusmodi dificultas, duæ possunt servari regulæ; altera per dissimilitudinem literarum, & hæc est facilior. Dissimilitudo figurarum attenditur penes hoc; ut pro quanto figuræ à se invicem differunt, tùm specie, tùm positione, fundabit reminiscentiam suam artifex, ita ut possit dicere, quòd per solas figurationes literarum, prima figura signet ab, secunda Antonio, tertia aurum, & quarta accepi. Dissimilitudo verò literarum sumitur à principio dictionis, & fine, quæ sine æquivocatione aliqua optimam causat reminiscentiam, verbi gratia, A, incisum designabit syllabam, ab: Ao, designabit Antonio: Am, dicet aurum: & Ai, dicet accepi.

Dubitatio.

Solutio.

accepi. Sufficit enim ut figura ostendat imaginem, sive speciem dictionis: nam ex illius idea statim memoria recordatur. Hujus exemplum habetur in præcedenti schemate, à nona figura incipiendo.

DE FIGURATIONIBUS quorundam nihil significantium, ut sunt, risus, cachinni, balatus, boatus, & his similium.

DIcuntur risus, cachinni, & alia quædam nihil significare, non quòd verè nihil significent, sed quia hujusmodi corporis motus nullâ valent verborum vi pronunciari, deserviunt tamen ad movendũ mentis ideam, pro conceptu aliquo ab ipsis denominato; exempli gratia, si in sermonis discursu, pertractandum erit de stultitia risus, de vanitate loquendi, de immoderata hilaritatis figura, de ovium in campestribus delectabili balatu, de mugitu, rugitu, ululatu, ac cæteris similibus: profecto satis concinnè memoria recordabitur, si apud imagines in locis artis consistentes, aliqua constituemus, per quorum ideam, ad simplicem ipsorum aspectum possit memoria recordari. Cum nempe de ridendi stultitia erit

Nihil significantiũ reminiscentia.

erit sermocinatio, sufficiens fiet risus designatio, si imaginem ipsam in proprio consistentem loco ridere fingemus. Aut ante ipsam stultum aliquem nobis notum immoderatè ridentem constituemus. Quod si per hoc adhuc rudis memoria nullam percipit de risu ideam, quam sæpiùs ridere vidimus, coram imagine artis fortiter ridere locabimus: ac ex hujusmodi immoderati risus specie ad cachinnorum recordationem facilimè deveniemus. Hac etiam figurandi methodo potest hilaritas, & cujuscunque immoderatæ lætitiæ species designari. Pro figuratione verò balatus, rugitus, boatus, ac cæterorum similium; quoniam hæc ex brutis desumpsit humana loquutio: illamet bruta ex quibus hujusmodi desumuntur voces, si coram imaginibus artis locantur, optimam ostendent memoriæ reminiscentiæ speciem, ut pro balatu, ponatur coram imagine, ovis aperto ore hians: pro boatu, bos ore cœlum versus, elevato atque aperto: pro rugitu, leo: pro ululatu, lupus: pro fremitu, aper: & sic de cæteris similibus. In manibus autè hujusmodi sic materialiter fieri nequeunt, & propter hoc oportet artificem ingeniari, ut propter exercitium adeò subtiletur memoria, quòd nil ei difficultatis

adveniat

adveniat in prædictorum, ac omnium aliorum similium recitatione. At antequam de regulis figurandorum sermonem faciamus: animadvertat addiscens, quòd multi in hac arte proficiunt, & multi quidem oleum amittunt, & opus: & hujus ratio non provenit ex artis defectu, & falsitate, sed ex addiscentis ingenii subtilitate, vel hebetudine. Sunt etenim quidam adeò delicatissimi intellectus, qui ad unam præceptoris vocem, & unico præ oculis exemplo posito, haud tantùm concipiunt quę declarantur, verùm & ex seipsis novam inveniunt, & pulchram quidem figurandi rationem. Quibusdam verò accidit, ut propter ingenii hebetudinem, haud tantùm quæ à magistro declarantur vix percipiunt, sed & ad propriam speculandi rationem descendere tentantes, nec aliqualiter proficiunt, nec paululum inventionis habent ad quomodolibet figurandum figuranda. Hinc animadvertat addiscens, ut ex his quæ ponimus exemplis, ex seipso inventionem sumat figurandorum, ne injustè contemnatur ars. Figurantur igitur prædicta non per propriam speciem, ut fit in imaginibus sensatis, sed per depictam ipsorum imaginem ab aliquo alio desumptam, verbi gratia, risus fit ore hominum,

Voces, & corporis motus quomodo figurantur in manibus.

minum, cujus designatio non potest materialiter figurari, nisi modo supradicto, qui modus minimè aptus censetur in arte, quæ in manuum figuris exercetur. Et propter hoc est pingenda imago risus in figuris digitorum, desumpta per metaphorá ab aliquo alio cui est nomen risus. Habemus siquidem nos plantam, quæ latinè oriza vocatur, vulgò verò, granum risum. Ponamus igitur quòd in figura lunæ in primo pollicis sinistræ manus ventriculo posita, sit locandus risus, sat utique erit, si quædam grana signentur, super quæ sit litera majuscula R, nam per hujusmodi duo, memoria concipit risum. Aliquando etiam dimissa metaphora, aliquod figurabile figuratur per characterem, quod rarò evenit pronunciandum (illa quidê quæ rarò occurrunt, faciliùs memoriæ mandantur) sumuntur autê hujusmodi figurationes, vel à principio, vel à fine.

A principio nempe hoc modo, cachinus incipit à c, & a, quorum utrumque facit k, signetur igitur in figura, scilicet in circulo, vel alia quavis k, quoniam litera hæc, qua rarò utimur, reminiscentiâ causabit cachinii: veruntamen oportet ut addiscens hoc sæpiùs sibi præfigat in mente. A fine verò figuratio cadit perfectissima, quando sumpta

prima

prima dictionis litera, figuratur finis dictionis per metaphoram ab aliqua re desumptâ, exempli gratia, balatus benè figuratur per B, cui à dextris, & à sinistris sint duæ alæ, nam balatus, & B alatus coincidunt. Sic etiam ululatus benè figuratur per V, cui supra sint duæ alæ, nam V, alatus reminiscentiam causat istius dictionis ululatus. Et sic per hujuscemodi regulam possunt omnia his similia facilimè figurari. Prædictorum exemplaria habes in præcedenti schemate, à quartadecima figura incipiendo. Nam quæ semel sensui objiciuntur, faciliùs memoriter retinentur.

DE FIGURATIONIBUS propriorum nominum.

QVod quibusdam aliquando difficile visum fuit, videlicet, nomina propria virorum, vel mulierum certis locis per appositas imagines figurare, hoc semper apud me facilimum existimavi. Nec sunt spernendæ quorundam antiquorum regulæ, quas & neoterici sæpissimè amplexati sunt: scilicet, ut viros, ac mulieres nobis notissimas assumamus, quorum nomina sint ejusdem rationis nominum à nobis recitandorum.

Et qui-

Et quidem methodus hæc optimæ facilitatis est. Si enim nomina recitanda hæc sunt, Antonius, Franciscus, Ioannes, Beatrix, Flaminia, &c. ponatur ante imaginem, quam in proprio loco statuimus, vir unus ex nobis notissimis, cui nomen sit Antonius: coram secunda imagine ponatur vir alter ex nobis familiaribus, cui nomen sit Franciscus: & in tertia locetur alter cui nomen sit Ioannes, & tunc optima fiet recordatio Antonii, Franciſci, & Ioannis. Coram quarta imagine sit juvencula, ex his quas aliquando novimus, cui sit nomen Beatrix: & in quinta imagine, sit juvencula quædam ex notis, quæ vocetur Flaminia: & tunc recordatio statim eveniet illorum, tùm etiam mulierum. Verùm si aliquando accidet, ut imago quæ in suo consistet loco, illud nomen quod quærimus habeat, tunc nihil in ipsa imagine fiet: sed ita nuda, & sine gestu, quomodo posita fuit à principio nomen proprium indicabit. Occurrit autem hic difficultas non parva, de nominibus propriis, quæ non sunt in usu, ut sunt nomina Hebræorum, antiquorum philosophorum, urbium, montium, fluviorum, locorum, ac cæterorum similium, quorum significationes per vivas amicorum nostrorum

Propriorum nominum figurationes in imaginibus.

Difficultas.

rum imagines non possumus figurare. Sint profectò recitanda nomina hæc. Abraam, Isaach, Iacob, Ioseph David, Salomon, Euclides, Hippocrates, Ptolomeus, Roma, Messana, Polistina, quorum nominum figurandi similitudinem non invenimus. Pro his ergo plures sunt servandæ regulæ, nam figurantur, aut per ipsorum nominum interpretationem, aut per eorundem hominum historias, aut per eorum virtutes, & officia, aut per ipsorum insignia. Exempli gratia, Abraam interpretatur, pater multitudinis, cum ergo volumus figurare Abraã, tunc coram imagine artis locabimus senem quendam, cui astat multitudo infantulorum, ac tota hujusmodi figuratio significabit Abraam, diciturque talis designatio per nominis interpretationem. Isaac figurari potest per historiam, legimus enim de eo, quod fuit positus super struem lignorum, ut in sacrificium occideretur à patre, si ergo ante imaginem artis locabimus puerum ligatum, & nudum super ligna, & senem qui gladio arrepto vellet ipsum interficere, tunc statim recordabimur hujus nominis Isaach, & talis dicitur figuratio ex historia. Ptolomeus fuit Rex, & Astrologus, signetur ergo

Nomina Hebraica, Græca, et nomina locorum quomodo figurantur.

Supra fol: 206.

ante

ante imaginem artis senex cum diademate, & manu dextera teneat sphæram cum circulis distinguentibus eam, & tunc statim reminiscentia eveniet Ptolomei, diciturq; talis figuratio à virtute, sive ab officio. Romana civitas pro insigni habet vexillum in quo tales sunt scriptæ literæ S. P. Q. R. habeat igitur imago stans in loco artis vexillum in manu in quo videantur prædictæ literæ, & statim recordatio fiet civitatis Romanæ, diciturq; talis figuratio ex insigni. Iisdem regulis figurantur cætera præposita nomina, ac alia quæcunq;, talisq; figurationis nulla est difficultas, nisi ut ingenietur addiscens promptam habere figurandorum inventam similitudinem. In figuris verò manuum hæ regulæ ad unguem observari nequeunt, ideò una tantùm prædictarum utimur, quàm faciliorem præ cæteris experti sumus, & talis est, quæ per insigne aliquod reminiscentiam causat. At quia fieri nequit, ut omnia nomina insigne propriũ habeant, operæ pretium fuit methaphorâ figurandi sumere ex simili, verbi gratia, si recitanda sint jam supra proposita nomina, videlicet Antonius, Franciscus, Iohannes, Abraã, Isaach, Ptolomeus, Roma, & hujusmodi similia: utique nulla

figurarum prædictarum valeat ex se completè aliquod dictorum nominum significare, nec de hujusmodi sic communibus nominibus possumus pro unoquoq; proprium habere insigne, hinc oportet ex nobilioribus figurationis methaphoram assumere, & nobiliorum insignia ponere. Exempli gratia pro Antonio, accipiamus nomen S. Antonii cujus insigne est flamma ignis, eò quod laborantes sacro igne protegit. Pro Francisco accipiamus nomen Sancti Francisci, cujus insignia sunt stigmata quinq;. Pro Iohanne accipiamus nomen Sancti Iohannis cujus insigne est calix veneno plenus; eò quod infideles venenum ei dederunt bibere, nec nocumentum corpori sequutum est. Cum ergo recitanda occurrent prædicta nomina, signetur in figura flamma ignis, & in sequenti signentur vulnera quinque, & in tertia signetur calix ex cujus ore exeat serpens, & statim recordatio fiet Antonii, Francisci, ac Iohannis. Hoc etiam modo fit in cæteris nominibus, videlicet, Lucretia, Lucia, Iulia, & similibus. Prædictorum figuratio est in præcedenti schemate incipiendo à decima septima figura. Item nomina quæ figurari habent ex historiis, non possunt in eisdem figuris completè designari, nisi

nisi minuatur historia, & tunc figuratio erit velut illa quæ habetur per insigne. Exemplum, sint recitanda nomina Abraam, Isaach, & similium per suas historias, utiq; legimus de Abraam, quod ille vicit in bello quinque reges, & munera suscepit à Sacerdote Melchisedech: & de Isaach legimus, quòd fuit superstruem lignorum oblatus Deo altissimo: quæ omnia vix possent in figuris artis designari, nisi historiæ minuerentur, hoc modo: pro victoria Abrahæ ponamus in figura ramum palmæ, & pro munere Melchisedech constituamus mitram pontificiam: cum igitur oculus mentis videbit in figura palmam, & mitram, statim recordabitur Abraam. Pro sacrificio Isaach ponamus in figura tantùm altaris designationem, cui supra sit gladius, & statim recordatio fiet hujus nominis Isaach. Pro nomine Ptolomei potest tantùm sphæra significari, quæ habetur pro insigne virtutis suæ, & pro nomine Romæ signentur in figura literæ ex quibus constituitur insigne Romanæ urbis. Per hujusmodi exempla valebit addiscens ex semetipso ingeniari, cætera omnia nomina figurare. Verùm oportet ut sæpiùs in hujusmodi figurationibus se exerceat, ut mens acutior evadat, atque ad

figurandum promptior. Prædictorum tamen nominum exemplaria præcedens schema indicabit incipiendo à vigesima figura.

DE FIGURATIONIBUS illorum, quæ in ordine sunt substantiæ in corporea, ut Deus, Angelus, Anima.

Supra fol: 205.

PRo figuratione illorum, quæ minimè ad corpoream naturam pertinent, id ante omnia est primò animadvertendum, quod nunquam potest memoria falli, si quæ immaterialia sunt secundùm naturam, materialiter apud locorum imagines figurantur, & propter hoc quæ immaterialia sunt, materialiter oportet in arte figurari, cujusmodi est Deus, Angelus, Anima: figuratur autem Deus vel à nominis interpretatione, vel ab usu, quo in sacris imaginibus depingi solet. A nominis interpretatione primùm, pro quanto Deus interpretatur videns, quia unico intuitu præterita videt, præsentia, atq; futura, oportet alicujus videntis perfectissimè assumere figurã, hoc autẽ tali signo potest designari: videlicet, fingatur in idea monstrum cui duæ sint facies, sibi invicem oppositæ ad similitudinem statuæ illius antiquissimi Iani, quem antiqui duas facies habentem

Immaterialia materialiter figurantur.

habentem arbitrati sunt, ac per hujusmodi figurationem reminiscentiam habebis videntis Dei. Alio modo potest figurari, & sensatiùs, per hujusmodi nominis interpretationem, scilicet pro perfecto visu habeatur in idea ante imaginē loci statua illius Argi, de quo dixerunt poëtæ centum habuisse circa caput oculos, nam talis figuratio altissimi Dei videntis reminiscentiam causabit. Verùm quia nunquam Argum illum temporibus nostris vidimus, ut sensatior fiat figuratio, assumatur pavo avis, cui est tota oculata cauda, cujus oculi Argum dixerunt poëtæ fuisse, nam ex multitudine oculorum in cauda pavonis, apertissima Dei videntis reminiscentia causabitur. Solent etiam & nostri temporis pictores Deū figurare in persona cujusdam glorioſi senis, atqui hujusmodi figuratio optimam Dei reminiscentiā causat, cum senem ante loci imaginem fingimus, glorioſis, ac speciosis opertum vestibus. Hoc etiam modo æterni Patris persona figuratur. Verbum Dei, id est Filius Dei, in infantulo designatur speciosissimis vestibus decorato. Spiritus sanctus, pluribus potest modis figurari, videlicet in flamma ignis, quia sic in die Pentecostes apparuit,

in columba, quia tali figura decoratus sedit super Christum in Iordane, & aliis quàm plurimis figurationibus, secundùm quas hominibus apparere dignatus est. Angeli aut figurãtur ab officio, vel ab usu pictorum; ab officio sic; Si Angelus de quo nomen quærimus sit Vriel, aut Raphael, aut Barachiel, &c. tunc oportet scire quod Vriel, ignis Dei interpretatur; habeat ergo imago loci thuribulum vivis carbonibus plenum, nam præsuppositio quod ignis in thuribulo est Deo sacratus, recordatio evenit de igne Dei, ex quo excerpere potest facillima reminiscentia nominis Vriel. Raphael interpretatur medicina Dei, quia Angelus hic, medici officio functus est in Tobiam cæcum; fingatur ergo in loco suo imago cæca, & juvenis pulcher astans, quasi cæco liniens oculos, & hujusmodi designatio recordationem ministrabit nominis Raphael. Barachiel justitia Dei dicitur, pro cujus figuratione sufficit ut imago artis stateram habeat in una manu, & ensem in altera. Hujusmodi regulis possunt & dœmones figurari, qui spiritus sunt angelici, unusquisque secundùm sui nominis interpretationem, vel secundùm pictorum consuetudinem. Verùm sæpiùs pro figuratione dœmonum in genere,

Supra fol: 206.

Supra fol: 207.

in genere, pro Luciferi nomine, serpentem coram imagine consuevi fingere; eò quod serpens dicitur Satan in scriptis sanctis. Figurationem autem animarum à pulchritudine sumere consuevi, & puellulam quam pulcherrimam noveram, coram artis imagine sæpè præposui, ad cujus ideam recordatio facta fuit animæ promptissima. Hisce utique exemplis perfectissimè poterit artis sectator prædicta, ac cætera in genere incorporeæ substantiæ posita, figurare. Acutior verò, ac subtilior methodus est pro figuratione prædictorum in manibus indaganda: nam oportet in omnibus, tùm materialibus, id quod subtilius, & diminutius est invenire. Hinc pro Dei figuratione oportet assumere id quod Divus Iohannes inquit in sua prima canonica; quod Deus lux est. Si lux, oportet distingui, hoc non potest fieri nisi per radios, radius enim est lucis pars diminutior, si igitur radius designabitur in superiori parte figuræ, tunc ille Deum significabit, vel æternum Patrem. Si radius erit in inferiori parte designabit Filium. Si verò tres radii in figura erunt, habebit Spiritus Sancti figurationem. At pro sanctissima Trinitate sufficit in figura triangulus. Angelorum autem figurationem à nominis similitudine

Supra fol. 205.

Deus pater.

Filius.

Spiritus S.

Trinitas. Sup. f. 206.

Angeli.

militudine metaphoram sumere consuevi. Nam duæ lineæ rectæ in plano figuræ artis coincidentes faciunt angulum, si sunt lineæ plures, etiam plures, angulos constituunt: inter Angelum, & angulum, ac etiam Angelos, & angulos maxima est nominum similitudo, cum ergo angulus ex duabus lineis in figura designabitur, utique facilimè ex eo Angeli reminiscentia fiet: & si plures angulos ex pluribus lineis mens in figura videbit, statim plurium Angelorum recordationem habebit. Prædictorum exempla in primo sequenti schemate designantur, à prima pollicis figura incipiendo. Angelorum autem nomina infra angulum per primam nominis literam possunt designari. At pro dæmonum imaginibus, sæpissimè figura usus sum nigra, quæ mihi & dæmones designat, & noctem, & tenebram, & his similia. Animæ fictionem pluribus expertus sum modis, sed quia radix nominis ejus ex illis duobus Hebraicis vocabulis profluit נשמהחיים nischmath chaiim, id est, spiraculum vitæ, nunquam similitudinem illius vocabuli variare volui, & pronischmath, nexum in figura designare consuevi, unde ex acquisito habitu, cum nexum in figura video, statim animæ recordor. Hujus nexus exemplum

Animarum fictio.

exemplũ est in sequenti schemate, figura septima. Tali igitur ordine incorporea omnia figurantur, sed nisi artis sectator in hujusce-modi fictis figurationibus sæpiùs assuescat, vix proficere poterit: ex frequentatis enim actibus, oportet artis habitum adipisci.

DE FIGURATIONIBUS illorum entium, quæ media sunt inter corporea, & incorporea, ut sunt Entia mathematicalia.

QVæ ad Mathematicam spectant, communiori distinctione quatuor distinguuntur partibus, aut enim sunt ex Arithmeticis, aut ex Geometricis, aut ex Astrologicis, aut ex Musicis. Quæ ad Arithmeticam pertinent, sunt numeri illi, qui cardines numerorum dicuntur, scilicet unus, duo, tres, quatuor, & reliqui. Horum numerorum apud Ægyptios erat significatio ab uno usque nonagintanovem in sinistra manu, cum verò centenarius erat significandus, demissa sinistra fiebat transitus ad dexteram. Qui hujusmodi significationibus utitur apud imagines locorum artis, nequaquam errare posse conjicio. Verùm quò

quò figuratio materialior, eò mens est inapprehensione facilior, nam crassiora, & corpulentiora fortiùs movent sensum, & inde sumat cogitativa phantasmata. Atque ob id numeros apud imagines aliter figurare consuevi, quàm per antiquam manuum inversionem, & gestum. Pro unitate signanda, imago artis manum dexteram elevat, & pollice cœlum ostendit, eo modo quo & Turcæ fidem suam solent adjurare. Pro dualitate duo brachia elevat imago sursum versus, manibus nudis nihil significantibus. Pro ternario tripoda posui. Pro quaternario figuram quadrangularem ligneam, veluti formam illam qua lateres conficiuntur. Pro quinario anguem locavi in manu imaginis, capite aliqualiter inclinato, & cauda tantisper erecta, ut figuram faciat literæ 5. quæ quinarium numerum arithmetico usu designat. Pro numero senario frequenter anguem posui, capite apprehenso, atque incluso in manu imaginis, & cauda in orbem ducta, ut aptè figuram indicet literæ 6. quæ arithmetico usu senarium designare solet. Pro septenario, aptavi coram imagine sedem, nam à sede ad septem fit facilis commutatio, expertus enim sum optimè recordationem

1. *Numerorũ figurationes Sup. fol. 96.*
2.
3.
4.
5.
6.
7.

dationem fieri à vocabuli similitudine. Pro numero octonario circulum posui in manu imaginis ex metallo illo quod nos octonem vulgò vocamus, per octonem enim reminiscentia causatur octonarii. 8. Pro novenario artificiale aliquod novum posui, sed facilior evenit recordatio si novem ova in vase novo ponuntur coram imagine. 9. Pro denario crucem, pro centenario lunam dimidio orbe cæsam, pro millenario mala poma, quæ à nobis vulgo mila vocantur, & sic de cæteris numerorum speciebus, est propriam invenire figuram. 10. Geometrica per regulam qua in commensurationibus suis fabri utuntur designavi. Astronomica per sphæram: & Musicalia, aut per instrumentum pulsus secundum cujusque generis musicorum similitudinem, aut per librum figuris ornatum musicalibus, ac satis hujusmodi figuratio talium entium placuit. In figuris autem manuum alio figurandi modo utimur, nam columnam accepi pro unitate, anguem pro binario, triangulum pro ternario, quadrangulum pro quaternario, pentangulum pro quinario, hexangulum pro senario, rosam geometricam pro septenario, corpus cubum pro octonario, circulum pro novenario, crucem pro

Mathematicarum rerum figurationes. *Supra fol: 218.*

cem pro denario, dimidium lunæ pro centenario, M. majusculum pro millenario, & cum eisdem figuris designantur cæteræ numerorum fractiones, & compositiones. Sequens schema hæc omnia indicabit ab octava figura incipiendo. Geometrica per lineam figuravi in medio figuræ, Astronomica per sphæram, & Musicalia per notas musicales in figura depictas. Si artis sectator in hujusmodi figurationibus se exercuerit, ac figuratorum recitationibus experimento comperiet quantæ sit utilitatis ars; haud enim sine frequenti exercitio acquiri potest artis perfectio.





Hæc manus supra p. 314. & illa hîc locari debuisset, quem errorem ex conformitate ortũ Lector benignè vertat rogamus

DE FIGURATIONIBUS illorum, quæ ad substantiam materialem pertinent, & ad accidentia.

MAteriales substantias infra cœlum conspicimus, ac paulò supra illas enumeravimus, qua potuimus brevitate in cœlestibus elementis, atque elementatis rebus, quorũ omnium facilima est apud imagines locorum artis significatio. Quò enim materialiora sunt entia, eò facilioribus figurationibus exponuntur, quorum aliqua tantùm pro addiscentis exemplo ponemus. Cœlum, & totus orbis, per pilam magnam, in manu imaginis artis designatur. Circuli cœlorum per materiales circulos, motus cœlorum per rotas mobiles, & sidera per eorum figuras materialiter fictas: quod & difficile non erit, nam & in mercatorum, atque artificum officinis, cœlestium siderum figuras aliquando videre contingit, ex quorum idea facilima est eorum in mente figuratio. Item elementa omnia & mineralia, & plantæ, & animalia quæque, non aliter figurari debent, quàm in propria natura consistunt. Difficultas autem posset esse apud aliquos circa significationes accidentium,

Substantiæ materiales & accidentia quomodo figurantur.

tium, nam quædam accidentia corporalia sunt, quædam verò spiritualia: corporalia quidem ut ægritudo, albedo, nigredo, & similia: spiritualia, ut intentio, cogitatio, sapientia, virtutes morales, & theologales &c. quorum omniũ figuratio fit per subjectum cui talia accidentia inhærent, ut ægritudo figuratur per hominem ægrum, albedo per nivem, nigredo per Æthyopem, cogitatio per religiosum contemplantem, Sapientia per doctorem aliquem ex nobis notis, Fortitudo per amicum frangentem columnam, Prudentia per serpentẽ, & speculum Temperantia per vas temperati vini, & Iustitia per hominem habentem ensem, & stateram. Si ergo nil est in orbe, aut sub consideratione cadit intellectus, quod non possit talibus figuris designari: ut omnium possit fieri recordatio. Quæ omnia per supra dictas regulas possunt etiam in manibus figurari. At hîc unum animadvertendum advenit, pro totius operis complemento, scilicet, quod loca sensibilia, quibus ars fit per imagines, multiplicari, & minui, secundûm capacitatem universalis loci artis: sed loca, quibus ars innititur in manibus possunt benè multiplicari, sed non minui; sunt enim in utraque facie manuũ loca nonaginta duo, multiplicantur

Locorum multiplicatio in manibus.

tiplicantur autem in infinitum, ſecundum diverſitatem colorum, & ſignorum quibus manus ſignificantur, & ornantur. Quod quomodo debeat intelligi, paucis verbis dicam. Accepi ego aliquando librum, quem pluribus decoravi manibus & figuris, oſtendentibus facies ambarum manuum in quibus figuras ſemper eaſdem poſui, manuum autem facies quatuor pro prima vice albæ erint, juxta naturam paginæ, pro ſecunda vice nigræ, pro tertia rubeæ, & ſic ſemper diverſificavi colores in libro, ut per ſenſum fieret facilis apprehenſio in intellectu. Cum autem defecerunt colores, ſupra quatuor facies manuum deſcripſi aliqua ſigna, ſcilicet, in primis quatuor faciebus coronam, in ſecundis lilium, in tertiis avem, & ſic variando ſigna, facta fuit variatio manuũ, & multiplicatio locorum. Multa quidem & alia eſſent dicenda pro artis facilitate, ſed ne fiat nimis vulgaris, ut etiam ea cerdones, & cetarii utantur, quæ dicta ſunt ſufficiant: nam quæ ſubticentur, oretenus enucleanda decrevi, & eo maximè, quod quæ ad artis perfectionem neceſſaria ſunt, per prædicta completiſsimè declarata conſiſtunt.

EROTE-

EROTEMATA
De Arte Memoriæ seu Reminiscentiæ, Quibus

Ea, quæ hactenus de Memoria tàm naturali juvanda, quàm artificiosa acquirenda, à doctissimis quidem viris, nimis tamen obscurè, atq; involutè fuerunt pertractata, nunc in gratiam Studiosæ Iuventutis, tàm clarè & perspicuè enucleantur, ut porrò etiã ipsis pueris possint esse usui.

Authore.
IOH. SP. HERD.

Quid est Memoria?

ESt comprehensio eorum, quę præterierunt; quorum adhuc aliquid præsens sensu detinetur. Vel: Est retentio & possessio atq; conservatio eorum, quæ mens nostra percepit. Vel; Est quoddam *Definitio memoriæ. Sup. fol: 1.*

dam naturæ munus, quo omnis disciplina constat & augetur. Vel: Est omnium scientiarum reservaculum & custos. Hinc à Quintiliano thesaurus eloquentiæ appellatur.

Divisio Memoriæ.

Quotupelx est Memoria?

Duplex: Naturalis & Artificiosa.

Quid est Memoria naturalis?

Memoria Naturalis quid? Sup. fol: 4.

Est quæ animis nostris insita est, & simul cum cogitatione nata, sine artis introductione. Hanc Quintilianus in pueris laudat. Sic enim ait: *Præcipuum ingenii signum in pueris memoria est.*

Sup. fol: 3.

Ejus duplex est virtus, scilicet facilè percipere, & fideliter continere.

Potéstne naturalis memoria esse perfecta?

Nemo mortalium eam unquam habuit, aut habebit perfectam. Quantò enim naturalis memoria est hebetior, tantò ad artificiosam imbecillior. Contrà, quantò naturalis est vegetior, tantò ad artificiosam expeditior. Quemadmodum enim ex natura primùm mediocriter pingentes, arte percepta, evadunt egregii pictores: ita qui naturali pollent memoria, arte percepta, mirabilem

rabilem consequuntur memorandi virtutem. Ait enim Cicero: *Memoria non solùm à natura proficiscitur, sed etiam habet plurimum artis, & industriæ.* Et rursus: *Simonides invenisse fertur, ordinem esse maximè, qui memoriæ lumen afferret. Itaque iis, qui hanc partem ingenii exercerent, locos esse capiendos, & ea, quæ memoria tenere velint, effingenda animo, atq; in his locis collocanda: sic fore, ut ordinem rerum, locorum ordo servaret, res autem ipsas rerum effigies notaret, &c.* Cic. lib. 2. de Orat.

Quid est memoria artificiosa?

Est quam confirmat inductio quædam, & ratio præceptionis. Vel: est dispositio imaginaria rerum sensibilium in mente, super quas memoria naturalis reflexa commovetur & adjuvatur, ut priùs apprehensa faciliùs, distinctiùs & diutiùs valeat recordari. *Memoria artificiosa quid? Sup. fol: 5.*

Ad quid valet artificiosa memoria?

Ad duplicem retentionem, permanentem scilicet, & transitoriam.

Retentio permanens est, per quam aliquam scientiam ordine traditam, perpetuò memoriæ commendamus.

Retentio transitoria est, per quam Doctor lectionem, aut disputationem, Concionator

cionator Concionem, Advocatus causam suam, ad modicum tempus memoriæ commendat.

Quot accidunt memoriæ?

Corruptio, diminutio & ablatio. Aliquando enim, corrumpitur memoria, aliquando diminuitur, aliquando penitus aufertur. Corrumpitur, quando scilicet rerum præteritarum obliviscimur. Diminuitur, quando accedunt passiones, ægritudines, & certi morbi: aufertur, quando vehementer læditur cerebrum, aut ejus aliqua pars.

Quis memoriæ artificiosæ inventor. Cic. lib. 2. de Orat. Sup. fol: 8.

Quis fuit inventor artificiosæ memoriæ?

Simonides. Sic enim ait Cicero, lib. 2. de Orat. *Simonides cùm cœnaret Crannone in Thessalia, apud Scopam, fortunatum hominem & nobilem, ferunt nunciatum ei, ut prodiret: juvenes stare ad januam duos quosdam, qui eum vocarent, surrexisse illum ipsum, prodisse, vidisse neminem. Hoc interim spacio conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidisse. Ea ruina ipsum oppressum cum suis interiisse, quos cùm humare vellent sui, nec possent obtritos internotescere ullo modo: dicitur Simonides, ex eo quòd meminisset, quo eorum loco quisque cubuisset, demonstrator uniuscujusq; sepeliendi fuisse. Hac tum re admo-*

nitus

nitus inveniſſe fertur ordinem eſſe maximè, qui memoriæ lucem adferret.

Qui fuerunt hujus artis memoriæ ſtudioſi?

Memoriæ artificioſæ cultores.

a Simonides (ut jam dictum eſt) hanc artem primus excogitavit, quàm cum Themiſtocli quidam obtuliſſet, ille reſpondit, oblivionis mallem: nam multa memoro, quæ nollem, obliviſci non poſſum, quæ vellem. *b* Eundem tamen tradunt, hujus artis adminiculo intra annum optimè locutum eſſe Perſicè. *c* Mithridatem verò viginti duas linguas calluiſſe.

d Craſſum item prædivitem illum, cùm Aſiæ præeſſet, quinque Græcorum linguas ſic tenuiſſe, ut qua quiſque apud eum lingua poſtulaſſet, eâdem jus ſibi redditum ferret.

e Cyrus dicitur hoc ſtudio omnium militum tenuiſſe nomina. *f* Seneca teſtatur, ſe adjumento hujus artis, in lectione magiſtri ſui, duo millia vocabulorum memoriæ commendaſſe, quæ lectione finita, eo ordine, quo dicta erant, & retrogrado, memoriter recitaverit.

g Cyneas miſſus à Pyrrho legatus ad Roman. poſtero die novus homo & ſenatum & omnem circumfuſam plebem ſuis nominibus ſalutavit.

a *Cic. l. 4. Academ. Quæſt. S. f. 9*
b *Plutarch. in vita Themiſtoclis. Sup. fol: 11.*
c *A Gellius lib. 17. c. 17. Plin. lib. 25. c. 2. Sup. f: 11*
d *Val Max. lib. 8. c. 7.*
e *Fab. lib. 10 c. 2. Sabell. lib. 10. c. 9. Sup. fol: 11.*
f *Seneca l. 1. Declam. Sup. fol: 17. Muret. lib. 3. Var. c. 1.*
g *Plin. l. 7. ca. 24. Plutarch Pyrrho Solin. c. 7. Cic. lib 1. Tuſc. quæſt. Seneca in Prologo declam. f. f. 18.*

h Cic. l. 3. de Orat. S. f. 12 i Plin. Solin. Cic. locis allegatis. Sup. fol. 10. et 16. k Sabel. l. 7. c. 7.

h Carneades plurimùm & i Metrodorus, plurimùm & Cicero, qui hac arte nomen suum adeò insigne reddidit, ut à plerisque viris aureum eloquentiæ flumen sit appellatus, ejusque k nomen pro eloquentia in ora hominum abierit. Nostro autem seculo consumatissimus fuit in hac arte, clarissimus vir Petrus Ravennas, Vtriusque Iuris Doctor: ut & l Iohannes Coletus, Theologiæ & Iurispr. D. & alii.

Sup. fol: 29. l Chr. Wirsung. lib. 1. c. 12. §. 1.

Quis est effectus memoriæ?

Fab. Quintil.

Res vetustas, ut Quintilianus ait: ex longo intervallo repetitas, rursus reddere & offerre. *Nonne*, inquit, *hæc mira varietas est memoriæ: excidere proxima, inhærere vetera, hesternorum oblivisci, exacta pueritiæ recordatio.*

Effectus memoriæ quis?

Quis est fructus memoriæ?

Fructus memoriæ quis? Verba Ciceronis l. 2. de Oratore.

Tenere quæ didiceris, quæque ipse cogitaris; omnes fixas esse in pectore sententias, omnemq; descriptum verborum apparatum. Ita audire, vel eum, unde dicas, vel eum, cui respondendum sit, ut illi non infundere in aures orationem, sed in animo videantur inscribere. Itaq; soli qui memoria vigent, sciunt, quid & quatenus, & quomodo dicturi sint, quid cui responderint, quid superfit: iidemq; multa ex aliis audita meminerunt. Vidit enim hoc prudenter Simonides, ea maximè animis

animis effingi nostris, quæ essent à sensu tradita atq; impressa. Hæc Cicero.

Distántne Intellectus, Ratio, Sensus, Opinio, & Memoria?

Maximè. Intellectus res concipit & apprehendit: Ratio discernit: Memoria tenet & conservat. Item, sensus est præsentium, opinio futurorum, Memoria præteritorum.

Quid obstat memoriæ?

Vsus literarum. Nam *quæ scriptis reposuimus, ea velut custodire destinamus, & cum securitate dimittimus*, teste Quintiliano.

Quibus rebus constat artificiosa memoria?

Sicut tabula constat cæra & literis: sic memoria artificiosa constat locis & imaginibus. Loci sunt tanquam charta, vel tabula, quibus res inscribuntur. Imagines sunt characteres, & similitudines rerum, quas memoriæ commendare volumus. Vtimur ergò locis pro cæra, & imaginibus, pro literis. Imagines sicut literæ delentur, loci ut cæra remanent. *Quemadmodum enim, qui literas sciunt, possunt id, quod dictum est, scribere, & ea, quæ scripserunt, recitare: Ita, qui μνημονικὰ* Lib. 3. ad Heren.

vivâ didicerunt, possunt hac arte, quod audiverunt, in suis locis collocare, & ex iis memoriter pronunciare. Breviter, sicuti locis pro cæra, sic simulacris, hoc est imaginibus pro literis utimur, teste Cicerone.

DE LOCIS

Quotuplicia sunt loca?

Duplicia: naturalia & arte fabricata: hoc est, locorum quædam constituit natura, quædam excogitantur ingenio.

Supra fol: 67.110.184

Quæ sunt loca naturalia?

Montes, prata, agri, sylvæ, rupes, valles, fontes, stagna, fluvii, & his similia. His raro utimur.

Supra fol: 186. et 187.

Quæ sunt loca arte fabricata?

Hæc sunt in triplici differentia: Quædam sunt loca maxima: ut, monasteria, collegia, templa, domus. Quædam majora: ut, cubilia, triclinia, refectoria. Quædam minora: ut, parietes, anguli, fenestræ, januæ.

Quid de locis cœlestibus sentiendum?

Quintilian. de Metrodoro ait: Habeat sibi sua loca, nos simpliciora tradimus. Hic enim Metrodorus habuit 360. loca in duodecim

decim signis circuli Zodiaci. Sed vanitas fuit, atque jactatio, circa memoriam suam arte potiùs, quàm naturâ gloriantis.

Quid autem de locis imaginariis?

Loca imaginaria prohibentur incipientibus. Non enim debemus imaginationem addere imaginationi.

Quid verò de locis triangularibus?

Loca triangularia sunt inutilia, propter notationem quinti loci.

Quibus ergò locis utendum est?

Locis illustribus, explicatis & modicis intervallis.

Da conditiones locorum.

1. Plures loci esse debent. Vt plures imagines collocare possimus, locis abundare oportet, ait Cicero: *Qui multa voluerit meminisse, multa sibi loca comparet. Oportet multos comparare locos, ut in multis locis, multas imagines collocemus.* Lib. 3. ad Her.

2. Loca inter se non sint nimiùm vicina, aut nimiùm distantia. Vicinitas enim locorum memoriam turbat: nimia distantia promptitudinem memoriæ impedit: Porrò sicut nimia dilatatio, ita nimia compressio nocet. Cavendū igitur, ne nimiùm dilatata,

tata, fusa ac vaga, incerta, anceps, & ignara mens fluctuet. Quod ne contingat, oportebit loca, quæ sumpseris egregiè notare, ut perpetuò nobis hærere possint.

3. Loca non sint nimis lucida, neq; nimis obscura, ne tenebris hebetentur, aut nimio splendore memoriam turbent.

4. Loca sint optimè nota. Notitia locorum necessaria est: ex memoria enim locorum, dependet imaginum memoria.

5. Loca non sint nimis alta & sublimia, *Sup. fol. 155* sed ut homines pro imaginibus positi, loca tangere possint.

6. Loca sint in parte quieta, quantum fieri potest, sita, ut & re & nomine possint imaginum rationi correspondere.

Sup. fol. 157 7. Locorum similitudo vitanda est. Sic enim ait Cicero: *Si quis multa intercolumnia sumpserit omninò similia, turbabitur similitudine, ut ignoret, quid quoq; in loco collocârit.* Accidentalis loci differentia causat bonam dissimilitudinem unius loci majoris ab alio, ut videri potest in duabus januis, quæ vel per magnitudinem, vel per colorem, vel per positionem differunt.

8. Loca debent esse ordinata. Quidam putant in arbitrio esse locantis incipere à dextra vel sinistra. Capnio & Ravennas consue-

consueverunt locos ordine locatos, à sinistra recensere ad dexteram.

9. Quintus locus signandus est, sitque quinarius unus distinctus ab alio: ita ut primo quinario ponatur crux aurea: in secundo, manus argentea: in tertio, rosa purpurea: in quarto, lilium, &c. Quintilianus & Cicero, quintum quemque locum notandum commemorât, quod nobis aulas & cubilia intrantibus facilè fiet. Quinti ergò loci minoris signatio utilis est. Nam dum quintum locum egregiè signabimus, locorum numerum in promptu habebimus.

10. Loca à nobis constituta, ter aut quater, in mense repetantur, ut eô fortiùs imprimantur, Repetitio enim locorum nullo pretio emi potest. Loci debent esse nobis præsentissimi, quod nullo pacto fieri potest, nisi per eorum frequentem & assiduam meditationem. Hinc Mantuanus dixit; *Sæpè recordari medicamine fortius omni.*

DE IMAGINIBUS.

Quid sunt imagines?

Sunt notæ & formæ quædam, & similitudines earum rerum, quas meminisse volumus. *Sup. fol: 65.*

Quot

Quot sunt divisiones imaginum?

Tres.

Quæ est prima imaginum divisio?

Quædam sunt firmæ, & ad movendum idoneæ: ut sunt res magnæ, incredibiles, inviſæ, inauditæ, novæ, raræ, admirabiles, habentes ſingularem, vel venuſtatem, vel turpitudinem. Vel quæ ſunt ridiculæ, vel deflendæ. Quædam ſunt infirmæ & imbecilles, quæ vix excitare memoriam poſſunt; ut ſunt res parvæ, uſitatæ, quotidianæ. Nam juxta naturam, quantò res animũ noſtrum minùs commoverit, tantò citiùs labitur ex memoria. Contrà, quantò fortiùs moverit, tantò diutiùs & firmiùs memoriæ permanebit impreſſa.

Supra fol: 150.

Quæ est ſecunda imaginum divisio?

Imagines aliæ ſunt rerum, aliæ verborum.

Res ſunt duplices: viſibiles & inviſibiles, corporales & incorporales.

Corporalium, aliæ ſubſtantiæ, aliæ accidentia. Voces ſimiliter ſunt duplices, quædam notæ, quædam ignotæ.

Quæ est tertia divisio imaginum?

Imaginum, aliæ ſunt ſimplices, ut dictionum,

ctionum, aliæ compositæ, ut sententiarum.

Quæ sunt imagines dictionum?

Quando unaquæque figuratur speciali imagine, ut homo, equus, asinus, suas habent imagines.

Quæ dicuntur imagines sententiarum?

Quando rem gestam, aut orationem ex pluribus dictionibus compositam, aut totam sententiam, historiam, fabulam, vel carmen una imagine, vel pluribus comprehendimus: ut, quælibet plaga Ægypti habet suam imaginem, vel ranas, vel locustas.

Da conditiones imaginum?

1. Omnis imago debet esse mirabilis, jucunda, ridicula, crudelis, aut alia insigni passione adfecta. Tales enim imagines plus movent memorātem, & fortiùs imprimuntur. *Supra fol. 152.*

2. Imagines non debent esse ociosæ. Quæ enim exercitio carent, parùm vel nihil movent. *Supra fol. 150.*

3. Imagines debent esse propriæ, ut rem memorandam repræsentent. Hinc dissimilitudo imaginum vitanda est.

4. Multæ imagines non debent esse in uno eodemque loco. Generant enim confusionem,

fusionē. Multæ tamen imagines unam rem significantes, possunt poni in uno loco: ut, pro bello, plures homines bellantes.

5. Imagines inventæ sunt propter res memorandas, sicut loca propter ordinem.

6. Imagines debent sæpiùs repeti, ut eò firmiùs imprimantur. Debilitas enim impressionis impedit memoriam. *Sup. fol. 153*

7. Cùm ad quinarium perveneris, repete in eo locata, Et cùm ad denarium perveneris, ambos quinarios repete, ut suprà dictum est de locis.

8. Si materia locata ampliùs uti nolueris, omnes imagines locatas dele. Non repetitæ enim delentur & pereunt. Tantùm de locis & imaginibus.

DE PRAXI ARTIS MEMORIAE.

Quo pacto locanda est materia memoranda?

Omnis dictio, vel materia memoranda locetur,

aut per { Similitudinem, Comparationem, Figmentum, Inscriptionem, Colligantiam.

Sic

Sic enim scribit Quintilianus: *Opus est locis, quæ vel finguntur, vel sumuntur imaginibus, vel simulacris, quæ utiq; fingenda sunt.*

Et rursus: *Sensus non eandem imaginem quàm res habent, cùm alterum fingendum sit.* Et rursus: *Quædam nullis simulacris significari possunt: ut, certè, conjunctiones, &c.*

Generalis partitio dictionum.

- Omnis dictio aut est
  - Nota: aut res est
    - Ignota: hæc locatur, vel per figmentum, vel inscriptionem.
    - Invisibilis: hæc locatur, per figmentum aliquando per inscriptionem, aut per comparationem, ut justitia.
    - Visibilis quæ vel est
      - Accidens: hæc locatur per suum subjectum principalius, ut albedo per nivem, lilium, cretam: nigredo, per corvum carbonem, &c.
      - Substantia & ea vel
        - Inanimata, ut lapis, securis: hæc locatur, per personam agentem aliquid cum tali re.
        - Animata, quæ vel est nomẽ
          - Commune: hoc locatur per personam notã.
          - Proprium: sic locatur Petrus cum clavibus, Paulus cũ gladio, Ioannes cum calice.

Quomodo locatur dictio per similitudinem?

Cùm pro ea imaginem, sive idolum, in certo loco constituimus. Sic enim ait Quintilianus: *Non est inutile, quò faciliùs hæreant, aliquas apponere notas, quarum recordatio excitet memoriam.* Nemo enim ferè tam infelix, ut quod cuique loco signum destinaverit, nesciat, ut, si erit tardus ad hoc, eo quoque adhuc remedio utatur, ut ipsæ excitent notæ. Hinc est ex illa arte non inutile attendere signa ad eos, qui exciderunt, sensus, utpote ancoram, si de navigatione dicendum est, spiculum, si de prælio. Multum enim signa faciunt, & ex alia memoria venit alia, ut cùm translatus annulus vel alligatus, commoneat nos, cur id fecerimus. Hæc magis adhuc astringunt, quoniam memoriam ab aliquo simili transferunt ad id, quod continendum est, ut in nominibus si Fabius fortè sit tenendus, referamus ad illum Cunctatorem, qui excidere non potest, aut ad aliquem amicum, qui idem vocatur Fabius.

Quotuplex est similitudo?

Duplex: Rerum & verborum.

Rerum similitudines exprimuntur, cùm summatim

summatim ipsorum negotiorum imagines comparamus.

Verborum similitudines constituuntur, cùm uniuscujusque nominis & vocabuli memoria imagine notatur. Rei totius memoriam sæpè unâ notâ & imagine simpliciter comprehendimus. Cum autem verborum similitudines imaginibus exprimere volemus, plus negotii suscipiemus, & magis negotium nostrum exercebimus. Facilior est rerum imaginatio, verborum autem difficilior. Oportebit igitur in hac secunda memoria naturalem crebrò exuscitare, ut vocabulis positis, ipsi nobiscum transeamus bis aut ter eundem versum, seu vocabulorum ordinem: deinde cum imaginibus verba exprimamus. Hoc modo naturæ suppeditabitur doctrina.

Quales debent esse similitudines?

Sint similitudines multùm nobis cognitæ, & aliquid agentes, cum insigni quadam nota, vel pulchritudinis, vel turpitudinis, aut certè ridiculi cujusdam. Ad eas constituendas plurimùm juvare solent, quæ sequuntur.

1. Effictio corporum.

Vt cùm senem facimus tremulum, incurvum, labiis demissis, canum, silicerniũ,

2. Notatio adfectuum.

Vt cùm dicimus, lupum voracem, lepores timidos. Sic, læta juventus, tristis senectus, prodiga adolescentia, avaræ mulieres, liberales viri, pallida fames, & hujusmodi multa.

3. Etymologia.

Vt, Philippus, amator equorum, Iacob, supplanator.

4. Onomatopæja.

Quando sumitur cognitio verbi, à sono vocis: ut, Taratantara, hinnitus equi, mugitus boum, rugitus leonum, bombitus apum, & hujusmodi.

5. Rerum effectus.

Cùm cuilibet mensi officia sua assignamus, cuilibet diei suum Planetam, vel hebdomadæ exercitium.

DE

DE COMPARATIONE.

Quomodo locatur dictio per comparationem?

Cùm pro ea locamus imaginem propter aliquam habitudinem, quam habent ad invicem.

Quoties fit hæc locatio?

Multis modis, ut patet his versibus:

Causa, vel oppositū, simul instrumenta, vel actus
Consimilis facient te meminisse rei.

Sic: *Sidus Veneris* dicimus esse causam *fœlicitatis. Panis* ducit nos in cognitionem *pistoris, calceus sutoris: nigrum* ducit nos in cognitionem *albi: pius* in memoriam *impii.* Opposita enim juxta se posita magis lucent. Sic: *calamus* ducit nos in memoriam *scriptoris, rastrum* in memoriam *agricolæ, arare* in memoriam *rustici, docere* in memoriam *eruditi.*

DE FIGMENTO.

Quo pacto locatur dictio per figmentum?

Cùm rei memorandæ nec similitudinem propriam, nec comparationem convenien-

tem habere possumus, ad vocalem similitudinem nos convertimus.

Quoties fit hæc locatio?

Trifariam.

1. Primò, quando pro dictione ignota, significante rem invisibilem, locatur dictio nota, significans rem visibilem, quæ similis est in voce huic, pro qua ponitur: ut, quando pro præpositione *palàm*, locamus *palam* instrumentum. Pro adverbio, *herclè*, *Herculem*. Pro verbo *cano*, *canem*. Pro adverbio, *cras*, *corvum* crocitantem.

2. Secundò, quando pro literis syllabæ, aut syllabarum, locantur imagines nominum ab istis literis incipientium: ut, pro conjunctione copulativa, &, pono *Eusebium* & *Thomam*, aliquid agentes. Pro verbo, *amo*, *Antonium volventem Molam*. Pro verbo, *do*, *Davidem* dantem mihi donum. Pro verbo, *emo*, *Eusebium* adferentem *Monetam* falsam. *Sup. fol: 90.*

3. Tertiò, quando pro literis alphabeti, locantur imagines vivæ, nobis notæ, vel nominum communium, vel propriorum. De communibus.

Vt, pro *A*, *Asinus*: pro *B*, *Bos*: pro *C*, *Cervus*: *D*, *dama*: *E*, *equus*: *F*, *formicarum* multitudo: *H*, *hircus*: *L*, *lupus*: *V*, *ursus*.

De

De Propriis.

Pro *A, Antonius. B, Benedictus: C, Chryſoſtomus: D, Daniel: E, Erhardus: F, Franciſcus: G, Gregorius: H, Hugo: I, Iohannes: L, Laurentius: M, Matthias: N, Nicolaus. O, Othomarus: P, Petrus: Q, Quintinus: R, Rochus: S, Stephanus: T, Titus: V, Vincentius.* Ravennas, pro literis formoſiſsimas puellas ponere ſolebat. Ait enim hoc ipſum multùm incitare memoriam. Sic enim inquit: *Mihi crede, ſi pro imaginibus puellas pulcherrimas poſuero, faciliùs & pulchriùs recito, quæ locis mandavi.* Et rurſus: *Si citò meminiſſe cupis, virgines pulcherrimas colloca. Memoria enim collocatione puellarum mirabiliter commovetur.*

DE INSCRIPTIONE.

Quo pacto locatur dictio per inſcriptionem?

Cùm rei memorandæ, nec ſimilitudinem propriam, nec vocalem, nec comparationem convenientem habere poſſumus. Per literas tamen eandem deſignamus. Sic plures huic arti literas reales adjungunt, quę multùm valent imaginibus appenſæ, ſeu tanquam notæ inuſtæ. Sic per inſtrumentorum ſimilitudinem, literarum imagines

Supra fol: 308. et 309. finxerunt, *A, circinum extensum. B, ferrum ignarium. C, cornu. D, caput tauri. E, semirotulam. F, gladium. G, testudinem. I, turrim. L, normam. M, tripodem. O, nolam. P, pedum episcopi, &c.* Sic alii quoque numerorum imagines finxerunt *1. 2. 3. 4. 5. 6.*

DE COLLIGANTIA, SIVE CATENA.

Quotuplex est colligantia?

Sup. fol: 109 Duplex: Naturalis & Artificialis.

Quæ est colligantia naturalis?

Colligantia naturalis est, qua facilè de uno in aliud movemur propter ordinem unius ad aliud. Sic ordo elementorum, si rectè ponitur: ut, terra, aqua, aër, ignis, facilè reminiscitur. Sic plurimùm juvat memoriam, ordo in Grammatica, Dialectica, Rethorica, & aliis disciplinis.

Quid est colligantia artificialis?

Artificialis colligantia est, quando secundùm nostram considerationem, vel imaginem, una imago se exercet cum alia. Hujus enim artis peculiare officium est, ut excitet, & moveat memoriam. Quare si res aliqua per se non movetur, ponatur in manum alicujus

cujus motoris: ut sic ex motu illo naturalis memoria commoveatur: ut si velis habere memoriam horum nominum: *Petrus, flagellum, canis, sus, aqua, vermis, arena.* Fac talem colligantiam, & imaginationem, ut *Petrus flagello canem percutiat, canis verò verbere commotus, suem mordeat. Sus verò evadere cupiens, vas aquæ vertat, in cujus fundo vermes procreati, qui tegantur arena.*

Ad quid valet hæc colligantia?

Vt sine cunctatione ac mora recensere valeamus. Sic enim ait Quintilianus: *at quamlibet multa sint, quorum meminisse oporteat, fiunt singula connexa, quodam choro, ne errent; conjungentes prioribus sequentia, solo ediscendi labore.*

Quid verò sentiendum de locatione, quæ per casus fit?

Ravennas ait: se in corpore humano casuum imagines invenisse. Nempe, ut *caput sit Nominativus: manus dextra, Genitivus: manus sinistra, Dativus: pes dexter, Accusativus: pes sinister, Vocativus: pectus, Ablativus.* Præterea pro *numero singulari* posuit idem, *puellam nudam*, pro *plurali* verò, *egregiè ornatam.* Sed hæc videntur multis curiosa & parùm commoda.

DE LOCATIONE QVADRUPLICI.

I. De historiarum locatione.

Quomodo locandæ sunt historiæ?

Sup. fol: 80. et 82. et 252

Qui cupit locare historias, cavet ne singula verba locet, hoc enim magis difficile est, quàm utile. Sic enim Quintilianus: *quomodo poterunt copulata fluere, si propter singula verba ad singulas formas respiciendum erit. Si longior complectenda memoriâ fuerit oratio, proderit per partes edisçere.* Et hæ partes non sint perexiguæ, alioqui nimis multæ erunt, & eam distinguent atque concident. Nec utique certum imperaverim modum, sed maximè ut quisque finiretur locus, nisi fortè tam sit numerosus, ut ipse quoque dividi debeat. Dandi sunt certè termini, ut contextum verborum, qui est difficilimus, continuet crebra meditatio, partes deinceps ipsas repetitus ordo, conjungat.

Volens igitur Historiam locare, priùs eam legat, ut sanè intelligat, deinde consideret principalia membra, in quibus tota vis historiæ consistit, eaque in tot partes dividat, quot opus & commodum fuerit, & quamlibet partem sententiæ, per unam imaginem locet. Si fortè occurrerit Rethoricum

cum aliquod schema, aut aliud quid egregium & notatu dignum, poterit & illud suis imaginibus collocare. Collocata verò bis aut ter secum repetat, donec animo infigantur. Cicero enim ait: *in omni disciplina infirma est artis præceptio, sine summa assiduitate exercitationis, tum verò in μνημονικοῖς minimum valet doctrina, nisi industria, studio, labore, diligentia comprobetur.* *Lib. 3. ad Heren.*

2. DE ORATIONVM SIVE CONCIONUM LOCATIONE. *Sup. fol: 99. 102. 103. 258*

Quomodo locanda est oratio, sive concio, quam quis ex alio auditurus est?

Cùm retinere volumus ea, quæ per alium audimus proferri, plures incidunt difficultates. Nam si is qui loquitur, boni oratoris ordinem in dicendo servaverit, facilè, poterimus audita memoriæ commendare, si verò fluctuans in dicendo, ex principio orationis inciderit in finem, & rursus ex fine in medium, deinde rursus in principium, sic nempe difficile erit nobis, audita servare.

Cùm itaque audimus benè narrantem, oportet tota mentis intentione omnes orationis partes, cohærentias & distinctiones notare:

notare: quod faciemus, si in principio totum animum applicuerimus, ut audiamus, per quid sumat exordium, quid deinde narret, si quid partiatur, quibus & quot deinde utatur rationibus, argumentis, exemplis, confutationibus, deinde quomodo peroret. Hæc omnia oportet certis locis & imaginibus collocare, ut eò firmiùs retineantur tandem oratione vel concione finita, debent hæc omnia bis vel ter transcurri & repeti, donec animo benè insideant.

Quomodo locanda est oratio vel concio quam quis dicturus est?

Supra fol: 103.

Declamaturus, primùm, legat orationem aut concionem, ut sanè intelligat, deinde dividat eam, in aliquot articulos sive partes, & si opus fuerit, subdividat quamlibet partem. Sicut enim confusa unio multorum est causa erroris & oblivionis, ita ordinata divisio est mater intelligentiæ & conservatrix memoriæ. Quintilianus ait: *In iis, quæ scripsimus, complectendis, & in iis quæ cogitamus, continendis, multùm valent divisio & compositio.* Nam qui rectè diviserit, nunquâ poterit in rerum ordine errare: sic etiam quæ benè composita erunt, memoriam serie

sua

sua ducent. Nam sicut facilius versus edis-
cimus, quàm prosam orationem, ita pro-
sam vinctam facilius, quàm dissolutam. His
omnibus rite peractis, tribuat cuilibet parti
suam imaginem, & in certa loca collocet,
collocata bis terve secum repetat, donec
animo tenaciùs hæreant.

Si autoritas aliqua, utpote Augustini, *Sup. fol: 126 cum seqq:*
Ambrosii, vel alterius alleganda est, poteris
pro autore locare amicum, hujus nominis
tibi notum & dicto autoris tribuere imagi-
nem, quæ sensum dicti repræsentet.

Quantitatem verò libri, distinctionis, *Supra fol: 96. 258.*
quæstionis aut capitis, imagines rerum, nu-
merorum formas habentes, demonstra-
bunt: ut *figura baculi ostendit unitatem. 1. an-
seris. 2. serpentis 3. zonæ retortæ. 4. figura baculi
silicernii. 5. testudinis. 6. ligni. 7. serti retorti. 8.
clavæ. 9. figura baculi Iacobi, cum concha osten-
dit decem. 10. cornu venatoris, centum. C. Coro-
na Imperatoris, mille M.*

DE ARGVMENTORVM LOCATIONE.

Quopacto locantur argumenta?

Argumentationis potissima species est *Sup. fol: 105 & 254.*
syllogismus. Syllogismi igitur locatione be-
nè cognita,

nè cognita, facilè quamlibet ſpeciem argumentationis locare poterimus. Quando autem Syllogiſmus conſtituitur ex tribus propoſitionibus, majore videlicet, minore & concluſione, quidam ſyllogiſticum argumentum ſic locandum putant, ut major propoſitio in dextera, minor in pectore, & concluſio in ſiniſtra manu, locetur. Alii quia vident, in argumentorum memoria requiri promptitudinem, ſupervacaneum putant, pro qualibet dictione propriam imaginem locare. Ajunt igitur ſufficere memoriam medii: cujus rationem adfert Ariſtoteles: *Medium*, inquit, *eſt tota vis & virtus Syllogiſmi.* Exempli gratia: Quicquid peperit habet lac: Hîc pro imagine totius Syllogiſmi, poteris ponere mulierem lactantem puerum.

4. DE CARMINVM LOCATIONE.

Quomodo locantur Carmina?

Supra fol: 343.

Carmina, verſus, metra, duabus viis poſſunt memoriæ commendare.

Primò via repetitionis. Quia enim Carmina per ſe memoriam adjuvant, notata prima dictione, facilè memoria poſſunt comprehendi. Et ſi adhuc difficultas apparuerit

ruerit, possunt addi similitudines dictionum harum.

Secundò, via sententiæ, ut scilicet notetur sententia carminis, & pro illa imago suo loco collocetur. Deinde accedat frequens repetitio, tum ars multùm juvabit naturam. *Carmina enim ex sui natura facilia sunt memoratu*, ut ait Quintilianus. Versus:

Metra juvant animos: comprendunt plurima paucis,
Et benè commemorant: sunt hæc tria grata legenti.

DE NOCVMENTIS ET ADIUMENTIS MEMORIAE.

Quot accidunt memoriæ?

Tria. Corruptio, Diminutio & Ablatio. Aliquãdo enim corrumpitur memoria, aliquando diminuitur, aliquando penitus aufertur. Corrumpitur, quando species rerum præteritarum obliviscimur. Diminuitur, quando accedunt passiones, ægritudines, certi morbi, & alia nocumenta. Aufertur, quando cerebrum, aut aliqua ejus pars, vehementer læditur.

Quæ sunt ergò nocumenta illa memoriæ? *Sup. fol: 3. cum seq:*

Omnes qualitates primæ, quæ sunt inflativæ,

flativæ, nocent: præsertim verò comestio vaporosorum, ut est, sinapi, allium, cæpe, caules frigidæ & albæ. Nimia fructuum frigidorum comestio, acetosa multa nocent: nimius cibus & potus: præsertim ante somnum: somnus statim à prandio vel cœna: dormire in calceamentis, nimius furor, ira, tristitia, & alii affectus animi plurimùm nocent.

DE ADIVMENTIS ET SUBSIDIIS MEMORIAE.

Quibus rebus adjuvatur memoria?

Sup. fol: 3. Multis: scilicet, natura, arte, usu, ordine, vacatione, quiete & bona diæta.

Quomodo adjuvatur natura?

Bona enim complexio juvat memoriam. Hinc sanguinei sunt benè memorativi, melancholici non ita. Sic pueri, ægroti, senes, timidi, & ebrii quoque sunt malè memorativi. Porrò qui prorsus carent naturali memoria & ingenio, frustra in hac arte sudant.

Segnes verò & desidiosi, quamvis illustri pollent ingenio, & sat citò hujus artis fundamenta concipiant, cùm tamen primo atque altero die non possunt esse magistri, mox è

mox è gremio librum projiciunt, atque omnia contemnunt.

Quomodo arte?

Cupiens hujus artis habitum adipiſci, curet imprimis, ut plurimos habeat locos electos, & arti accommodatos: deinde ſumat imagines ſuo propoſito convenientes, nec prorſus conſuetas, quia ea quæ ſunt inconſueta, magis miramur, & tenaciùs hærent. His ritè collocatis, ſeſe exerceat quotidiè. Quintilianus ait: *Argumentum eſt, ſubeſſe artem aliquam, juvariq; ratione naturam, cùm docti idem facere, illud indocti, & inexercitati non poſſumus.*

Quomodo adjuvatur memoria, uſu & exercitio?

Uſus & ars docuit, quod ſapit omnis homo. Repetitio quoque locorum & imaginum, lectionum ipſarum valdè utilis eſt, Horatius. *Lectio lecta placet, decies repetita placebit.* Et Quintilianus: *aut ſi quis unam maximamq; à me artem memoriæ quærat, exercitatio eſt & labor, multa ediſcere, multa cogitare.* Et ſi fieri poſsit quotidiè potiſsimum eſt. *Supra fol: 121.*

Nil æquè vel augetur cura, vel negligentia intercidit. Quare & pueri ſtatim, ut præcepi, plurima ediſcant, & quæcunque ætas

operam juvandæ ſtudio memoriæ dabit, devoret initiò tædium illud, & ſcripta & lecta ſæpiùs revoluendi, & quaſi eundem cibum remandendi. Quod ipſum hoc fieret quam levius, ſi pauca primùm, & quæ tædium non adferant, cœperimus ediſcere, tum quotidie adjicere ſingulos verſus, quorum acceſsio labori ſenſum ineſſe, menti non adferat, in ſummam ad infinitum uſq; perveniat.

Quomodo ordine?

Supra fol: 5. & 9.

Ordo enim plurimum lucis adfert memoriæ, & ordinata facilè ſunt reminiſcibilia. Hinc Ariſtoteles ait: *Sicut duo ſunt impedimenta, quæ naturalem memoriam impediunt, ſcilicet ordinis confuſio, & impreſsionis debilitas, ita duo ſunt juvamenta memoriæ naturalis, ſcilicet poſitio locorum & imaginem ſub certo ordine, & frequens meditatio.*

Vacatione verò & quiete quomodo?

Anima ſedendo & quieſcendo fit prudens, nota eſt ſententia. Memoria enim vehementer diſtrahitur, per continuam externarum rerum occupationem.

Sed quæ tandam eſt bona illa diæta?

Quæ conſtat intervallis ſtudiorum, Carentia

rentia adfectuum, Conversatione & Victu: & primùm quidem.

Studiorum intervallis.

Quia danda sunt ingeniis intervalla, & ut Quintilianus ait: *danda est omnibus aliqua remissio*: non solùm, quia nulla res est, quæ perferre possit, continuum laborem, sed quòd studium discendi voluntate, quæ cogi non potest, constat. Itaq; & virium plus adferunt ad discendum renovati ac recentes, & acriorem animum, qui ferè necessitatibus repugnat.

Hac quoque non est utendum in studio quotidiano, sed potissimùm in studiis difficilimis & necessariis, utpote in disputationibus, in causis forensibus & concionibus. Proinde studium matutinum & antelucanum facilius est, quàm diurnum & vespertinum, propter silentium, & quia animus liber est ab occupationibus externis. Hinc Quintilianus ait: *Mirum dictu est, quantum nox interposita adferat firmitatis, sive quiescit labor ille, cujus sibi ipsa fatigatio obstabat, sive maturatur ac coquitur, seu firmissima ejus pars est recordatio, quæ statim referri non poterant, contexuntur postero die, confirmatq; memoriam idem illud tempus, quod esse in causa solet oblivionis.*

Supra fol. 157.

Deinde adfectuum carentia.

Adfectus enim ut sunt curæ, mœror, tristitia, timor, ira & hujusmodi, valdè obscurant memoriam. Notæ sunt sententiæ poëtarum:

Curæ diminuunt animum.

Mœror & affectus alii, de cardine mentem
Sæpè levant: animo sermo venit æger ab ægro.

Cato:

Impedit ira animum, ne possit cernere verum,
Obtundunt siquidem curarum pondera sensus.

Pòst conversatione.

Seneca inquit: *cùm his versare, qui te meliorem facturi sunt: illos admitte quos tuos tu poteris facere meliores.*

Et tandem victu.

Supra fol: 158.

Sobrietas enim cibi & potus maximè juvat memoriam, intemperantia contra & ebrietas impediunt. Hinc Quintilianus ait: *Certum est plurimùm conferre memoriæ bonam valetudinem, digestum cibum, animum cogitationibus aliis liberum.*

Appendix.

Quando autem memoria principium habet à natura, & perfectionem ab arte, operæ pretium est addere ex medicorũ scriptis, quæ

quæ naturalia potissimùm memoriam juvant, & memorantē expeditiorem reddunt.

Quæ igitur diæta observanda est in arte memoriæ?

Quando corruptio memoriæ est à causa sicca, tunc valdè utilis est diæta resumptiva cum suavitate vitæ. Quando autem est à causa frigida & humida, habitatio sit in domo clara & pura: vitetur luxuria nimia. In ea enim calor naturalis, & spiritus vitales dissolvuntur, & debilitatur cerebrum.

Quotuplicia sunt adjumenta memoriæ?

Duplicia. Simplicia & Composita.

Quæ sunt simplicia?

Vsus fructuum stipticorum, assatorum: avellanarum, castanearum, præsertim pôst comestionem. Aves & cerebella avium maximè conveniunt, moderatum exercitium ante prandium & cœnam. Expulsio superfluitatum, per loca consueta & debita, gaudium temperatum.

Lotio pedum cum decoctione fæniculi, melissæ, foliorum lauri & camomilli. Lotio capitis semel in hebdomada cum lixivio, in quo temperentur flores camæmilli. Item salvia, melissa, serpillum, Betonica, &c.

Convenit etiam usus Coriandri præparati, Zinziberis conditi, masticatio masticis cum zinzibere, post esum, etiam jejuno stomacho. Convenit quoq; masticatio piretri, thuris albi, pussulæ, mirobolani conditi, & ferè omnes species mirobolanorum.

Similiter omnia ingredientia confectionis anacardinæ, & quæ ordinariè sequuntur in recepto sequenti, possunt simpliciter & compositè sumi ad confortandam & recuperandam memoriam.

Quæ sunt composita?

Ea sunt duplicia. Alia evacuativa, alia confortativa.

Quæ sunt evacuativa?

Pillulæ ʒ. specierum mirobolanorum.
Pillulæ de hiera picra Galeni.
Pillulæ de hiera Rufini.
Confectio Theodoric.
Pillulæ Arabicæ.
Pillulæ sine quibus esse nolo.

Hæ omnia secundum quodlibet suam dosim evacuanda superflua convenit, & prosunt capiti, & memoriæ, visui & auditui.

Quæ sunt confortativa?

Confectio Anacardina.

Dia

Dia Cimini.

Dia trion piperon Dianthos.

Sequens medicina (ut Doctores ajunt) valet & convenit capiti & cerebro, virtuti animali, sensus quoque corroborat, & memoriam confirmat, & bonam digestionem operatur, facit hominem subtilia & alta speculari. Cum bono regimine & perfecta diæta, &c.

Pulvis utilis.

Recipe Foliorum Ambrosianæ.
Majoranæ.
Salviæ.
Betonicæ.
Melissæ.

Ana 1. ij. Baccarum lauri, seminis Peoniæ, seminis Melissæ, ana dragmas tres, seminis ozimi, sisami, ana dragmam unam, zeduariæ, cimini præparati, ana 3. ij. cubebæ, nucis muscati. Maceros, Charioffili trium granorum Piperis, Cardemomi, ana dragmam unam, zinziberis albi liquiritiæ raso, ana unciam semis, Mirobolanorum, citrinorum Indorum, ana dragmas tres, Thuris masticis ana dragmam semis, Coriandri præparati unicam semis, pulverisanda pulevrisentur, misce saccari albi libra unam.

De isto pulvere Electuarium fiat, ut sequitur.

Recipe istius pulveris uncias duas addendo Corticis citri conditi vel exiccati, unciam unam. Conservæ anthos unciam semis, Carnium cethoniorum passularum, ana uncias duas, saccari canditi uncias quatuor, liquefac saccarum cum aqua Melissæ, & fiat electuarium cum Sirupo, de zinzibero condito, observetur in fictili.

Notandum in diminutione memoriæ, & ad recuperandum eam, valent & conveniunt omnia, quæ in litargia prosunt. Testimonio Avicennæ, & divi Ioannis Mesuæ.

Linimentum, conferens litargiæ, & oblivioni & congelationi.

Recipe, oleorum sambucini unciam unã, olei de Been vncias duas, Euforbii unciam semis, Castorii dragmam unam, fiat linimentum, ungatur cum eo locus memoriæ, quondam confert.

Medicamen Hali.

Conservans memoriam, senibus conferens.

Recipe, mellis Anacardini partes duas, Olibani, Ciperi, Acoriana, uncias duas, piperis macropiperis ana unciam semis. Cebulorum

bulorũ Indorum uncias duas, Cimini præparati unciam unam, mellis cocti & despumati, quantùm sufficit pro electuario.

Aliud.

Ad restaurationẽ memoriæ, conservans & reparans eam, secretum Ioannis Mesuæ.

Recipe, mellis mirobolanorum chebulorum libram unam, piperis longi uncias tres & semis, teratur piper, & misceatur cum mille & chebulis, aromaticetur cum Galliæ muscatæ ʒ. iij. must. ʒ. i. misce, & sumatur de eo omni mane in jejunio, ana dragmas ij. ad iiij. vel quinq; dragmas, & non ultra.

Aliud simplex ad idem.

Recipe, pulveris melissę, collectę in mense Majo, unciam semis, quolibet mane cum vino albo tepido, vel cum brodio pulli.

Aliud simplex.

Recipe, grana thuris musculi de sero, vel mane tria vel quatuor grana, in vino priùs madefacta.

Aphorismi.

Corpus teneatur mundum à superfluis ventris, adsit beneficium si non naturale, saltem artificiale. Abstineat memorans à cibis salitis, fumidis, grossis & difficilis digestionis. Allia, cæpe, & omnia legumina

vitet. Vitet quoq; cibos generantes materiam phlegmaticam & viscosam, ut, carnes porcinas, aves aquaticas, & pisces viscosos. Vitentur vina fortia, potus grossus, acetosa, coitus nimius & adfectus.

Iuvant memoriam, fricatio capitis panno lineo & calido.

Zinziber conditum, bis in hebdomada jejuno stomacho sumptum.

Confectio anacardina, semel in hebdomada manè ad quantitatem ciceris sumpta.

Oleum Philosophorum occipitio inuncto, reparat memoriam.

Bugloſſa quocunque modo sumatur, valet.

Nil salubrius Theriaca, in fovendis conservandisque membris, viribus, spiritibus, atque ingeniis.

Sæpè recordari medicamine fortius omni.

Tantum de memoria.

INDEX

INDEX GENERALIS TOTIVS LIBRI.

A.

Abolitio imaginum & locorum. 123. & 271
Abusus artis memoriæ. 41
Acerrimus sensuum visus. 6
Accidentium ordo. 301
Accidentia Memoriæ. 367
Actionis & Passionis similitudo. 214. harum consideratio. 303
Adam perfectissimus fuit in memoria. 19
Adjumenta artis memoriæ in natura. 368. in usu, ibid: in ordine. 370. in vacatione ibid: in diæta. 371. & 373. in medicam 374. cum seqq:
Aeris partes. 285
Ædificiorum partes. 189
Æl: Hadrianus Imperat. summa præditus memoria. 15
Affectuum similitudo. 214. 356
Altarium partes. 190
Animalium partitio. 297. Irrationalium consideratio. 300
Animæ intentiones. 306. fictio animarum. 330
Angelorum figuratio. 329
Antigonus vir præstantis memoriæ. 13
Antithesis inservit memoriæ. 93. & 232
S. Antonius Eremita. 23
Antonius Archiep: Florent. decreta & canones memoriter tenuit. 24

Antonius

Antonius Ravennas Memoriſta. 29
Aphæreſis imagines excitat. 92. & 232
Apocope. 93. 231
Apologia contra detractores artis mem: 38. 43
Ap. Claudius. 15
Appolonius Tyaneus inſignis memoriæ vir. 10
Aquoſa loca. 186
Arbitrarium, ſeu Voluntariũ & Placitum. 95. 242
Arborum partes. 188
Argumentatio. 105. 254. 365
Archippus facilis memoriæ. 13
Ariſtoteles princeps memoriæ ibid.
Ars à natura procreata confirmat. 5
Ars dux certior quàm natura. 6. 21. 29
Ars & natura conjunctæ mira producunt. 22
Articulorum deſignatio in imaginibus. 310
Artificioſæ memoriæ definitio 5. & 341. *Exemplà & Sectatores à p.* 10. *uſq;* 339. *Inventor.* 8. & 342
Artibus liberal: quomodo ars memoriæ applicanda. 137
Artifices quot modis exprimantur. 209
Artificialium Locorum partitio. 189
Artis mem: utilitas. 48. & *à pag.* 45. *uſq;* 59
Artiũ & ſcientiarũ fundamenta ſunt humilia. 66
Artium ſemina à Deo implantata plus creſcunt exercitatione. 73
Authoritas veterũ circa memoriam. 41. *Ciceronis & Ariſtotelis.* 172. & *paſſim. Quintil.* 1. & 174

Biblia

B.

Biblia arte memoriæ quomodo insigenda. 141
Biblicæ historiæ & imagines inserviunt mem: 80

C.

Carmidas & Carneades. 12
Casuum locatio. 361
Cautela pro discentibus. 72
Claudius Cæsar totum Homerum memoriter tenuit. 16
Citatio numerorum cap. §§. & tit. 127. 128. 263. cum seq: Authorũ sive operis iisdem locis & 260
Citationum partes. 260. ordo. 129. applicatio. 265. cum 2. seqq:
Cœlestes personæ, 205
Cœli consideratio. 295
Comparatio. 357
Collocatio librorum. 125. Personarum privat. 98
Concio quomodo declamitanda. 100. & 364. ingenianda. 99. excipienda calamo. 100. & 136. Regulæ circa conciones observandæ ibid. Exercitium hujus. 102. & 252
Conditiones Imaginum. 285. & 288. Figurarum. 150. cum seq: Locorum. 200
Connexio catenula memoriæ. 109. Hujus divisio ibid. & 360
Connexum. 94. hujus tractatio ibid. & 216
Corporum effictio. 356
Cornificius felicis memoria. 16

Corsicus adolescens arte memoriæ clariss: 32. 48
Cubicula. 67. 69
Cubiculi propriè sumti partes. 190
Cubiculor: imaginar: partes & ordo. 193
Cyneas Legatus Pyrrhi. 18
Cyrus Rex Persar. 11. 48

D.

Definitio Memoriæ. 1. & 339
Designatio articulorum. 310
Detractio memoriæ inservit. 92. & 230
Deus Memoriæ dator. 2
Diæresis. 93. 236
Dialectica per artē mem: quomodo discenda. 140
Dictiones significantes & non signif: 202. Perfectæ. 228. Ignotæ ibidem.
Dictionum generalis divisio. 353. 201
Dii gentilitii. 207
Dictandi ratio. 131. 133. 255
Differentia inter Intellectum, Rationem, Sensum, Opinionem & Memoriam. 345
Discrimen inter Effectus memoriæ artificiosos & naturales. 59
Distinctivi positio utilis. 116
Divisio Memoriæ. 4. 340

E.

Ecclesiasticæ personæ. 209
Effectus. 218. cum seq:
Effectus artis memoriæ. 344

Effictio corporum. 356
Electuarium ad memoriam. 376
Elementorum consideratio. 296. *cum seq:*
Elogia memoriæ. 1
Enthymema. 106. 254
Entium mediorum inter corporea & incorporea figuratio. 331
Epenthesis. 92. 232
Episcoporum exempla memoriâ memorabiliū. 36
Epistolæ partes. 134
Esdras memoriter 5. lib: Moysis recitare potuit. 19
Etymologia. 138. 356
Evacuatio loc: fig: imag: 123. 271
Exercitatio. 60. 73. 289

F.

Fab: Max. præclarus memoriâ vetustatis. 14
Facilitas artis memoriæ. 45
Figmentum. 357. *hujus locatio triplex ibidem.*
Figuræ artis memoriæ. 202. *Divisio earum ibid. respectu manuum.* 285. *Evacuatio.* 271
Forma imaginariæ speculationis. 114
Fortuitus ordo locorum. 191
Franciscus Molinus. 500. *vocab: semel audita quovis ordine repetiit.* 34
Franc: Petrarcha princeps Poëtarum Italiæ. 28
Fructus artificialis memoriæ. 344

G.

Gentes, urbes & personæ publicæ quomodo repræsentantur. 208

Grammaticæ

Grammaticæ memorandæ modus. 208

H.

Hieroglyphica. 91. 215
D. Hieronymus penè omnium nationum linguas calluit. 20
Hippias. 16
Historiæ tractatio. 80. 252. 362
Homo septimodè partitus. 188
Homo consideratus juxta sexum. 298. *potestatem, ibid. dignitatem.* 299. *conditionem & officium ibid.*
Horæ pulsus observandus. 108
Hortensius causarum. rex ob Eloquentiã dictus. 19

I.

Ignis. 185
Imago. 68. 202. 349
Imaginum divisiones. 68. 202. 350. *ordo & conditiones.* 285. 288. 351
Imaginariæ speculationis forma. 114
Imagines dictionum. 351. *sententiarum ibid.*
Imaginum evacuatio. 271
Immaterialia materialiter figurantur. 326
Incorporeæ substantiæ. 294
Industria conservatrix memoriæ. 8
Inductio. 106
Infernales personæ. 207
Inferus. 184
Ingenii bonitas imitatur doctrinam. 6

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769155766/phys_0408
DFG

In quibus medulla artis sita. 165
Inscriptionis locatio. 359
Insignia. 95, 217
Iurisprudentia quomodo hac arte memoriæ assequenda. 142

L.

Legati memorandi arte quomodo utantur. 148
Leges & §§. quomodo notandi. 143. 247
Librorum collocatio. 125
Linimentum conferens litargiæ & oblivioni. 367
Literarum alphabeti observatio. 85. 239. 307. *Regulæ circa literas observandæ.* 240
Loci. 67. 110. 184. *cum multis seqq: a* 277. *usq;* 283. *Item* 346. *cum* 3. *seqq.*
Loci Naturales. 184. *cum seqq: Majores, eorumq; divisio in Elementares & cœlestes.* 114. 184. 346. *Minores.* 184. *Terreni qui vel aquosi.* 186. *vel specialiter terreni.* 187. 346
Loci: In animalibus. 113. 188. *In homine, ibid. In arboribus:* 114. 188. *In montib. flum: sylv:* 113. 189. *In firmamento & planetis.* 112. 185
Loci Artificiales. In civitatib: 111. 115. 189. *In ædificiis & domibus.* 117. 189. *In cubiculis, officinis, Templis, Sacellis, Altaribus.* 190. *In chartis & tabulis geographicis.* 112. 192. *In paginis librorum.* 113. *In statuis Imperatorū & Pontific:* 117
Loci Misti. 199. *Collaterales.* 199. *Horum omnium ordo. iisdem locis.*

Locorum conditiones & requisita. 200.347. *Differentia & Distãtia.* 279.280.347. *qualitates.* 281
Locorum ordo. 277. *triplex.* 191
Locorum ordo imaginarius in manibus. 278
Locorũ conceptorum evacuandorũ modi. 123. 271
Locorum obscurorum nimis nimisq; lucidorũ temperamentum. 281
L. Lucullus Imp: divinæ vir memoriæ. 13
L. Scipio Asiaticus. 15. 48.
Ludov. Pontanus Spoletinus I C. *insignis mem:* 26
Lysiades seu Lysander. 13

M.

Manuum in arte memoriæ præfiguratio & signa. 292. 314. 335
M. T. C. insignis memoriâ. 16
M. Antonius Muretus. 31. & 35
Maris partes. 184
Mathematicalium figurationes. 333. 218
Medicina scientia quomodo memoriæ arte juvatur. 145
Medicamenta memoriæ. 377. *cum seqq:*
Memoriæ, autor Deus 2. *Definitio.* 1. 339. *Divisio in Naturalem & Artificialem.* 4. & 340. *Accidentia.* 342. *Adjumenta.* 3. 368. *Nocumenta. ibid. Elogia.* 1. & 2. *Effectus à pag.* 45. *usq;* 59. 344. *Inventor.* 8. & 342. *Objectum.* 7. *Officium.* 3. 340. *Sedes.* 2
Memoria caduca innascitur. 8. *est Imperfecta.* 340

Mensium

Mensium imaginatio. 257
Mens oculus incorporeus. 71
Metathesis. 93. 253
Methodus studendi. 159
Metrodorus Sceptius. 10, 346
Mithridates Rex Ponticus memoriæ lumen. 11
Modus figurandi literas in manibus. 311
Montium partes. 189
Motus consideratio. 295
Motus corporis quomodo figurantur in manib. 318

N.

Naturalis memoriæ Definitio. 4. 340. *Utilitas & effectus à pag.* 45. *usq;* 59.
Naturalis ordo locorum. 191
Naturalis potentiæ & impotentiæ similitudo. 213
Negotiorum conficiendorum annotatio. 252
Neopotianus clarus memoriâ. 24
Nihil significantia. 201. 294. 316
Nocumenta memoriæ. 3. & 368
Nomina Hæbraica Græca & peregrina, Item locorum, quomodo figurantur. 322
Numeri quomodo memorandi. 96. 258. 332

O.

Objectum memoriæ artificiosæ. 7
Offensio causa desertionis. 65
Officium memoriæ. 3. 340
Officinæ partes. 190
Onomatopæja. 356

Orationũ ingeniandarũ collocatio. 99.103.288.363
Ordo triplex locorum 191. collateralium. 199.
mistorum. 198. cubiculorum. 193
Ordo memoriam juvat. 5. & 9.
Ottho Rom: Imper: 25

P.

Paragoge memoriæ adjutrix. 92. 232
Parietes imaginarii. 67. & 69
Partes Epistolæ. 134
Paronomasia. 93. 233
Partes: Naturalium Locorum. 184. & 185. Terrenorum. 186. & 187. Animalium 188. Hominis ibid. Arborum ibid. Montium. 189. Artificialium locorum: Civitatum ibid. Ædificiorum Cubiculorum, Officinarum, Templorum Sacellorum. Altarium 190
Passionis & Actionis consideratio. 305
Periodi figurandæ. 145. 249
Personæ Cœlestes. 205. 326. Infernales, quibus annumerantur Dii gentilitii 207. Terrestres. 208. Ecclesiasticæ. 209. Seculares ibid. Artifices ibid. & 210
Privatæ personæ tribus modis formantur. 98. 210. & 211. harum collocatio ibid.
Personis attribuendæ actiones. 150
Petrus Ravennas. 29
Physico quid in memoriæ arte agendum. 162
Platium. 95

Planetarum

Planetarum ordo & figuratio. 112. 185
Plato princeps memoriæ. 13
Plurium simul diversa propositio. 14. 55. 131. 133. 255
Poemata ingenianda. 243
Portius Latro Memorista. 17
Præmia excitant artem & industriam. 22. 164
Praxis artis Memoriæ: In humanioribus studiis. 107. In gravioribus. 108. Item 352
Procuratori & Advocato quid agendum. 144
Propriorum Nominum figurationes. 320
Prosodiæ imaginatio. 139
Prosthesis. 92. 232
Prosyllogismus. 105
Pulvis confortans memoriam. 375

Q.

Qualitates animi. 314. Corporis. 305. Harum consideratio. 304. Expressio. 222. Similitudo. 212
Quantitatum consideratio. 301. Similitudo. 212
Quibus ars memoriæ utilis. 3. 46

R.

Ratio exercendæ memoriæ ex Quintiliano depromta. 174. cum seqq:
Regulæ 28. memoriam adjuvantes. 149. cum seqq:
Relatorũ similitudo. 93. 217. eorũ consideratio. 302
Repetitio omnium necessaria. 121. 349
Rerum memoriæ infigendarum: requisita. 78. Exempla. 80. 82. cum seqq: Effectus. 356. Magnitudo attenuanda. 150. 204.

Res: ab oculis non figuratæ. 90.220. In sensum non incurrentes. 91. Per se formatæ, 202. Per accidens ibid.
Retrogrado & intercalari ordine memoriter redditio. 46. & 53
Rhetoricæ ingeniendæ ratio. 139

S.

Sacelli partes. 190
Scriptura hieroglyphica. 215
Sectatores memoriæ à p. 10. usq; 39. Item 343
Seculares personæ. 209
Seneca. 2000. nomina simul audita referebat. 17
Sensus & sensuum objecta. 90. 202
Sententiæ aliquot elegantes. 179
Sententiarum memorandarum: Modus. 75. 245. Adminicula. 76. Exemplum præfigurationis. 77. Principalia & Minus principalia. 75
Siderum consideratio. 296
Signa. 49. 217. Ex habitu & gestu ibid.
Similitudinis Definitio. 211. Divisio. 354
Similitudo: In substantia. 211. In Qualit: Quantit: In habitu, in Relat· 212. In Virtutibus & vitiis. In naturali potentia & impot: 213. In Affectibus In action: & passion. 214
Simonides inventor artificiosæ mem: 6. 8. 9. 342
Simplicius amicus B. Augustini Virgilium retrorsum recitare potuit. 20
Situs imaginum & figurarum. 255. 287. cum seq.

Subjectum. 221
Substantiæ Incorporeæ. 294. Corporeæ. 295. Harum similitudo. 211
Substantialium & Accidentaliũ figurationes. 336
Syllabarum tractatio. 88. 235. 310. cum seqq:
Syllogismus. 105. 254
Synæresis. 93
Syncope. ibid. & 230

T.

Temperamentum locorum nimis obscurorum & lucidorum. 281
Templorum partes. 190. observatio. 195. 197
Temporis Imaginatio. 256. partes, ibid. cum seq:
Terræ partes. 184
Themistocles Imperat. Athenienſ: memoriæ summæ. 10. 11. 15
Theodectes. 13. 14
Thomas Aquinas. 38

V.

Verba quid ostendant. 294
Verborum ingeniandorum tractatio. 224
Virtutum & vitiorum similitudo. 213. Expressio. 215. 221
Vis artis memoriæ. 43
Visus acerrimus sensus. 6
Vocabula: non intellecta expressa figuris Rhetoricis. 84. Imaginibus arithmeticis. 85. Imaginibus syllabarum. 88. Longiora memoranda. 87

INDEX.

Vocabulorum. 50. 500. 200. memoria. 46. cum seq.
Voluntarii Definitio. 95. Tractatio ibid. & 242.
Observatio circa illud. 96.
Voluntarius ordo locorum. 191. 196
Vniformis & Multiformis ordo locorum. 191. 192

FINIS.




Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn769155766/phys_0418
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769155766/phys_0423
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn769155766/phys_0424
DFG

miliarem ostendas : c hiliaritas
parit contemptum, & à studio
materiâ subministrat. bis secu-
larium nullatenus intr rsum su-
per omnia fugias. Et s oborum
virorum vestigia imite ias à quo
audias, sed quidquid riæ com-
menda. ea quæ legis, f le dubiis
te certificans: & quidc r mario-
lo mentis reponere sa s vas im-
plere. Altiora te ne exi

Vltimo, epilogi vic phonem
addam quæ scribit Er lamus li-
bro tertio Eccles. Ad n e vim na-
turâ felicem, accedat i ra, exer-
citatio, & ordo. ad me mandam
nonnihil opis pollice & secun-
dum hos Marsilius Fi er ea quæ
diximus, plurimum c a vitæ so-
brietas: nam crapula ngenium
hebetant, ita memori hunt: of-
ficit etiam curarum va negocio-
rum. officit & tumul m volu-
minum lectio. Hanc p tror cau-
sam cur senectus sit o a vis ani-
mi multitudine reru ficit me-
moriæ pudor immod nouitas,
& anxia cura: pudor & tur assue-
tudine. Anxium stud oç ipsum
quod impendio affec uit: Opti-
ma